



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Doctor Mellifluus S. Bernardus Magnæ Matris Cultor
Eximius, Et Ex Ordine Sancti Benedicti Sacellanus
Quartus. Sive Ea quæ Doctor mellifluus de laudibus
Virginis Matris scripsit in gratiam magnæ ...**

Bernardus <Claraevallensis>

Nevhsii, MDCLXXV.


urn:nbn:de:hbz:466:1-37156





Th. 2315.


RIV
6




















= 1197

DOCTOR MELLIFLUUS
S. BERNARDUS
 MAGNÆ MATRIS
 CULTOR EXIMIUS,
 ET
 EX ORDINE SANCTI BENEDICTI
SACELLANUS QUARTUS.

SIVE
*Ea quæ Doctor mellifluus de laudibus Virginis Matris
 scripsit in gratiam magnæ Matris Cultorum, & amatorum
 in unum Opusculum digesta.*

PER
 LAURENTIUM à DRIPT O.S.B. Profess. Gladb. SS. Theol.
 Lectorem, nec non Rmi & Celsissimi Principis & Episcopi
 Paderbornensis ac Coadjutoris Monasteriensis in
 Ecclesiasticis Consiliarium, &c.



NEUHUSII,
 Imprimebat JOANNES TODT, Typographus Aulicus
 suæ Celsitudinis Paderbornensis.
 MDCLXXV.

DOCTOR MELITIUS
S. BERNHARDUS
MAGISTRI
CULTOR EXIMIIUS

SACELLANUS QUARTUS

DE RE
SACRILEGII DE RE
SACRILEGII DE RE
SACRILEGII DE RE
SACRILEGII DE RE

W. B. O. S. A.
Inomedi Joannes Tom Typographus Amicus
in Göttingen Paderborn
1717



Reverendissimo Perillustribus ac Generosis Dominis

D O M I N O

JOANNI GODEFRIDO

Ab **H Ö R D E /**

Cathedralis Ecclesiæ Hildesienfis Canonico Capitulari, Serenissimi Principis Electoris & Archiepiscopi Colonienfis, nec non Celsissimi & Reverendissimi Principis & Episcopi Monasterienfis, qua Administratoris Corbejenfis respectivè Consiliario intimo, vices tenenti ac regiminis Præsidi.

nec non

D O M I N O

ALARDO BERNARDO

ab **H Ö R D E /**

Dynastis ingenuisque Dominis toparchiæ Hördianæ, Dominis in Stormede/ Eringerfeldt/ Schwarzenraben/ & Borchheim/ &c.

Felicitatem.

Reverendissime, Perillustres ac Generosi Domini.



uentis vestræ erga sacros, divi **BENEDICTI** Nepotes benevolentia, aliâq; profusæ in Monasticæ vitæ addictos viros beneficentiæ monumenta & maxima merita, quæ ab ævi propè dimidio huc-

a 2

usq;

D E D I C A T I O.

usq; vigent, me quam plurimis, ex eodem fonte manantibus beneficijs affectum impulere, ut munusculum quoddam ex gratiarum arculâ depromptum vobis exhiberem, sed eam quum prorsus inanem, nihilq; tantis nominibus dignum continere deprehenderem, disquirere stemmatis vestri monumenta accuratiùs cæpi, ubi sanè latissimus mihi campus egregiorum facinorum, quæ amplissimo de Heroibus Hørdianis panegyrico materiam præberent expanditur; verum cum instituti mei ratio aliud postulet, quàm illustrium encomia profèqui, pauca quædam ex ijs, eaque strictim, imò nomina duntaxat percensere duxi. Dabitur ergo veniam Perillustres Viri huic meæ scriptioni, quum ea quæ latiùs erant deducenda, paucioribus perstringam. Neque enim proavorum vestrorum, vestramque singularem in Deum ter optimum maximum; magnam ejus & admirabilem Matrem, aliosque Sanctos, religionem, pietatem, devotionem, & observantiam, intimam virorum principum familiaritatem, laudabiles pro communi Reipublicæ emolumento susceptas functiones, strenuam fortemque in rebus bellicis pro re Catholicâ navatam operam, Christianum

in

D E D I C A T I O.

in peragrandis longè diffitis regionibus fervorem, hisce pagellis dignè enumerare valeo, quum mihi penitus ea perlustranti plura majoraque succrescunt.

Nullus porrò quod in fuscitandis à fundamento magnifici operis templis, & sacrarijs, in exstruendis dotandisque Monachorum domicilijs & Cœnobijs maximas opes effuderint; inficias ire poterit, qui civitatem Lippiensem solummodo adierit, ubi templi domusque cœnobitarum S. Augustini structura sanè visenda conspicitur quæ tam fide dignorum(a) testimonio & auctoritate, quam olim ibidem positi nunc verò injuriâ temporum sublatis Epitaphij monumento, Hordiorum munificentia tribuitur, quod his inferre haud abs re fore arbitror siquidem familiae apud posteros perennem memoriam conservat

* Primum magnificus lapidem locat hinc Fridericus
Ex Hörde natus miles bonus hinc et humatus

a 3

Septem

(a) Herm. Stangefol. lib. 3. annalium circuli Westphalici fol. 405. ubi sic legitur.

Cosmod. Stef. Ritereri Hessi lib. 4. In civitate Lippiensi templum ac cœnobium permagnificum regularium Monachorum S. Augustini hoc tempore fundatur exstruitur affatimque ditatur per nobilem virum Fridericum ab Hörde, qui & ibidem in templo post obitum anno 1317. unâ cum Cunegundâ uxore sepultus est hoc addito Epitaphio. *

D E D I C A T I O.

Septem post denos obit annos mille trecentos.

Neque etiam id parum Hördiorum gloriam illustravit, quod ex hoc olim monasterio doctissimi Monachi, qui plerumq; Doctorum pileo & honore insigniti erant, magno numero prodiêrint. (b)

Majorum suorum vestigijs institère, & imitati exemplum Philippus & Joannes patruels Domini in Boek, non ignari obsequijs erga matrem filij & filiaë captandam esse gratiam, sacellum quod in castro suo Bocâ ad Luppian Bernardus de Hörde (c) ad Virginis Deiparæ sanctæ ejus Matris Annæ lanceæ & clavorum Servatoris nostri, & sancti Antonij magni honorem prius condiderat, reliquijs ex longè dissitis locis maxima cum difficultate acquisitis exornarunt, annuis proventibus locupletarunt, & Innocentij VIII. Pontificis Max. privilegijs auxerunt, quâ quidem super re pro perenniori stabilitate litteræ, quibus tria brevia Apostolica inserta, sunt exarata. De Philippi hujus fervore planè sancto ausim id ferme pronunciare, quod, quæ hodiedum in Delbrugia circa languidos & varijs morbis afflictatos Deus operatur miracula (salvâ tamen virtute sacri thesauri imaginis

(b) *idem folio eodem.*

(c) *Monum. Paderb. in notis ad Bocam pag. mibi, 142.*

DEDICATIO.

nispectori inclusi) magnam partem ejusdem Philippi piæ intentioni sint adscribenda. Ille enim est, qui pro singulari quo in crucifixum Dominum ferebatur amore ostentando, ejus sacrosanctam imaginem eodem ubi nunc maximo hominum confluxu & mira devotione, non sine admirandâ efficacîâ colitur, loco statuit, ille est qui eandem Crucifixi imaginem pretiosissimis ejusdem pectori immerfis lâminâque obseratis reliquijs, (d) quas quidem cum non exiguo vitæ discrimine binis in terram sanctam susceptis Deoque favente feliciter exantlatis itineribus exulerat, condecoravit. (e) Fuit verò Vir ille tantâ præditus sapientiâ, ut Westphaliæ & Angariæ Mareschalli munus (f) (g) summâ cum laude obierit. Quo quidem post fata charissimæ Conjugis ex illustri Nesselrodiorum familiâ oriundæ se abdicans quum Ecclesiasticum statum amplecteretur ad Præposituram
Cathe.

(d) 1. de sancta Cruce. 2. de Columna, ad quam Salvator flagellis pro nobis cæsus. 3. de S. Philippo. 4. de S. Georgio. 5. de S. Quirino. 6. de SS. Martyribus.

(e) Anno 1496. ipso die Parasceves sacro.

(f) Herm. Stanges. lib. 3. anal. circuli Westph. fol. 383. ab anno Domini 1260. usque ad annum 1442. dicti sunt Marschalli Westphalia. primusq; fuit Philippus ab Hörde zu Boeck qui titulo Marschalli abjecto Provincialis Sarrapa diceretur, præfuit autem annis 5. usque ad annum 1498.

(g) Joannes à Berswardt in sua m. s. nomenclaturâ nobil. Westph.

D E D I C A T I O.

Cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis est erectus; in cujus functione muneris eam profectò omnium proborum laudem promeruit, quam nec feramors ei, nec improborum invidia, nec temporum injuria eripere valuerunt; quod quidem superstes fama approbavit, dum tale ei encomium à coævo scriptore (h) relictum invenio.

Nobilitas triplex pariter te lucet in uno

Sanguine doctrinâ clarus es atque fide.

Æquali divinæ religionis virtute insignes habendi ex eodem stemmate vestro fratres & cognati: Temmo, Fridericus, Philippus, Joannes, Engelbertus & Bernardus, qui singulari in Christum pro salute generis humani venditum & crucifixum amore ducti atque æternitatem mente sedulâ & serâ volentes Deo trino & uni gloriosæ Virgini Matri MARIÆ, sanctæ Annæ Matri ejus honestissimæ, S. Augustino & dilectæ ejus Matri in Dynastia sua Stormede congregationem triginta sanctimonialium Ord. Canonicorum Regularium S. Augustini instituere: eo præsertim fine ut pro animarum suarum salute Deo Opt. Max. identidem supplicarent jugiterque mysteria passionis
Redem-

(h) Johan. Murrnellius in Cyriaci Spangenberg's Speculo Nobilitatis parte secunda lib. 11. cap. 13. fol. 189.

D E D I C A T I O.

Redemptoris nostri sedulâ & pia mente recolerent
cujus rei fidem faciunt literæ eam in rem forma-
tæ. (i) Illud porro de Temmone silentio nullate-
nus prætereundum, quod paulo ante (k) cum uxo-
re suâ à Patre Joanne Priore Canonice Bôdicen-
sis totoque Conventu ad fraternitatem, quo om-
nium bonorum operum particeps fieri posset, ad-
missus fuerit.

Plura ejusmodi & singula Pietatis monumen-
ta tam in Dominio vestro quam vicinis locis (l) ab
antecessoribus vestris erecta in memoriam revo-
cando, moras justo longiores injicerem. Et quis
non sibi persuadeat adhuc innumera extitisse,
quorum licet memoria temporum injuriâ obli-
terata sit: vel hinc tamen ominari licet, quod tam
teste scriptore fidedignissimo (m) quàm ipsis litera-
rum monumentis (n) *Henricus Abbas sancti Viti in
Corwey de bonæ voluntatis arbitrio Friderico dicto de
Hörde, et Cunigunda (o) uxori eius officium in Mön-
ninghausen et bona universa, quæ discretus miles Dn.*

b

Albertus

(i) Anno 1483.

(k) Anno 1466.

(l) in oppidis Lippia & Gesêke.

(m) m. s. Kleinsorgij pag. 1. lib. 7.

(n) Antimanifestum DD. de Hörde fol. 113. num. 39.

(o) de Stôrmede filia Alberti nobilis Domini de Stôrmede.

D E D I C A T I O.

Albertus de Störmede de suâ Ecclesia iure habuerat feudali largâ manu ex singulari ad vos affectu porrexit. (P)

Quod licet hodie adversarij vestri promiscuum velint, ac remque satis propterea vobis litem moverint, vos verò solidis fundamentis nixi (q) masculinum solum contenditis; non dubito quin quâ veritate, quâ strenuitate & industriâ hactenus tuiti estis, eâ felicitate evincetis, uti & jam apud ipsam sacram Cæsaream Majestatem pro S. Viti M. Monasterij Corbejenfis & successorum vestrorum summo bono & emolumento juxta primæva & pluribus à sæculis concordata familiae pacta evicistis. (r)

Quanquam animus non erat de Hördianæ gentis vetustate hoc loco multa profari, vix tamen intermittere possum quin Albertum commemorarem qui inter complures Imperij proceres testis subscripsit (s) litteris Ottonis quarti Romanorum Regis, quibus Imperator *Widekindo Corbeiensi Abbati feodum furesti quod soligo dicitur tradidit.*

Alios quoque Gentis vestræ sago togæque in-

signes

(p) Colonia Anno Domini 1291.

(q) videantur 4. manifesta Hordensia

(r) Anno 1674. 13. April.

(s) Aquisgrani An. 1198. 9. August. ex origin. lit.

D E D I C A T I O.

fignes viros silentio præterire nefas foret quorum nomina scriptorum calamis celebrata haud exigua stemmati vestro laudem attulere. Quorum alter Alardus (t) dum Henrico Brunovicensium Duci campi Mareschalli nomine militaret, accito in socium Ottone Comite Rittbergensi & alijs octingentorum equitum & trium millium peditum manu veræ religionis amore incitatus Comitem de Teklenborg Protestantium partes tinentem ; Mox Landgravij & aliorum subditos invasit ferroque & flammâ vastavit. Alter non minorem fortitudinis martiæ laudem meretur Georgius qui (u) sub Christierno Rege Daniæ cum quadringentis equitibus & aliquot peditum vexillis (quorum comes Ericus de Hoya & hic, Duces erant) meruit, cum verò Rex ob tyrannidem regno pulsus & subditi Friderico Holfatiæ Duci (x) sub dio Homagium præstitissent, iisdem servitijs renunciavit, & post biennium (y) ab Alberto Brandenburgico in Chiliarcham assumptus, pro cuius partibus strenuè dimicans unà cum Duce

b 2 suo

(t) *M. Cyriacus Spangenberg in sui spec. nobil. par. 2 lib. 11. Cap. 43. p. 254. Alhardt von Hörde ist An. 1545. Herzog Henrichs zu Braunschweig Feldt-Marschalck gewesen. ic.*

(u) *idem loc. cit. fol. 255.*

(x) *zu Wiborg.*

(y) *An. 1547.*

D E D I C A T I O .

suo hostium vinculis constrictus , prius vitam quam fidem ponere statuit.

Hicce merito accedit Albertus qui (z) Simonem de Lippia Episcopum Paderbornensem (qui quo Angarienses acrius infestaret, Saltzkottenam fossis & mœnijs cinxerat, seque cum Archidicecios hostibus foedere obstrinxerat) cum insigni Vasallorum Nobilium & partium Westphalię Magnatum manu adortus captivum duxit & (a) Archi-Episcopo Colonienfi Conrado (b) tradidit, qui illum bene habitum eo usque detinuit , donec secum pacisceretur. (c)

Non licet aliter autumari de multis alijs gentis Vestrę Viris præcipuè verò de Bernardo Equite, qui quanquam mihi nomine solum notus sit, non immerito Equitis nomen ante alios promeruerit, quippe ob singularem virtutum præstantiam, infractum animum, & egregiam manus fortitudinem. Hic porrò trium virorum ex eadem stirpe vestrâ prognatorum nomina præterire nefas foret, Georgij nempe, Alardi & Friderici, qui omnes sacri militaris ordinis diversisq; temporibus Teutonicę domus Marburgensis primarię Commen-

(z) *m. f. Kleinsorgij par. 1. lib. 7.*

(b) *de Hoystade.*

(a) *Anno 1254.*

(c) *An. 1256. Kleinsf.*

D E D I C A T I O.

mendaturæ excellentiâ præditi fuere, quorum fama publicis typis ad posteros delata hodieum celebratur.

Verumtamen longius quam volebam in enumerandis Hordianæ vetustatis monumentis progredior: quum *Bernardi* incidens nomen aliud monet: cursum igitur sisto nam & audio, & lego, & video tot ex gente vestra *Bernardi* nomine nuncupatos, meo mellifluo illi, quem typis paro, Doctori homonymos: Nam *Bernardi* Equitis quem paulò ante nominabam, filius ejusdem prænominis, is est, (d) qui cum fratribus suis Friderico & Hermanno transegit cum Henrico Spiegel Episcopo Paderbornensi propter Castrum Bocense non ita pridem ab illis (e) exstructum. Fuit & alius *Bernardus* (f) satrapa in Arnsberg sub Theodoro Archi-Episcopo alius quoque *Bernardus* Fridericus, qui concordatis Westphaliæ, (g) conceptis inter complures subscripsit: demum *Bernardus* Sylvester ab Hörde qui Stormedenæ hoc sæculo extremum vitæ diem clausit. Hoc igitur stemmati vestro tam charum, tam vulgare nomen vix aliud suggerere mihi videtur imo & persuadere quam,

b 3

&

(d) *Joannes à Bersw. orat in sua m. s. nomencla. nobil. Westph.*

(e) *An. 1371.*

(f) *Idem.*

(g) *An. 1590. Idem.*

D E D I C A T I O.

& proavos vestros & vos illorum generosos nepotes divi Bernardi ejusq; lactatricis magnæ Matris cultores fuisse eximios.

Quis etenim te BERNARDE Alarde qui olim sensis Calvinii & prætensè reformatorum imbutus tantum ex homonymi tui Patroni uti & D. Hieronymi atque S. Ambrosij assiduâ lectione profecisti ut ad Romanæ Ecclesiæ & unius salvificæ Religionis gremium cui antea per Baptisma inlitus fueras te reciperes: quis inquam te ab hoc Divo, non dicam ab almâ ejus lactatrice alienum affirmaret: post Deum enim utriq; quin & scholis PP. S. J. quod è tenebris ad verum fidei lumen emerferis, jure in acceptis refers.

Tandem universos vos, Rme, Perillustres & Generosi Viri, Optimi stemmatis, optimi rami compello & ante alios te, *Ioannes Godefride*; Te ceu parentem suum nepotes tui^(h) amant & observant; quorum, fratribus tuis superstes, unice curam geris; Te ceu gentis vestræ eminentius caput consanguinei salutant & venerantur. Te ceu oraculum Revendissimi Confratres tui suspi-

ciunt

(h) *Rabanus Christophorus* Canonicus capitularis Cathed. Ecclesiæ Hildes. An. 1674. à Rmo Capitulo Hild. ad S. Ces. Majestatem ablegatus. *Friedericus Ferdinandus Gaudentius. Franciscus Wilhelmus: & Arnoldus Mauritijs* Joannes, fratres & cognati ab Hörde.

D E D I C A T I O.

ciunt & admirantur. Tu à cunctis Westphaliæ principibus viris inter primæ admissiõnis familiares & consiliarios intimos adscisceris. Tu tot tantisque legationibus clarus Reipublicæ Romanæ emolumento fervore sancto studuisti, dum & Ratisbonensibus Comitijs (i) nomine Serenissimi Electoris Colonienfis uti adhunc actum specialiter deputatus subscripsisti. Virtutes tuæ Religio, modestia, sapientia, solertia, variarumque rerum experientia te omnibus amabilem reddunt. Tu fratri tuo Georgio Canonico Capitulari Cathedralis Hildesienfis Satrapæ in *Wittlage, Marienburg et Steinbruck* non ita pridem defuncto (k) in magnæ & admirabilis Matris veneratione minime cedis; cujus præclara in eandem virginem Matrem pietatis monumenta per totam Diœcesin Hildesiensem hodie visuntur: de quo illud imprimis observatu dignissimum, quod pro singulari, quo in assumptam virginem ferebatur, amore, quotquot struebat altaria, imagini assumptionis primarium & maximum altaris locum assignaret. Hæc sanè Deo Opt. Max. singulariter placuisse vel ex eo apparet, quod illum ipsa assumptionis ma-

tris

(i) Anno 1654.

(k) Anno 1673.

D E D I C A T I O.

tris suæ die ex hac mortali vitâ immortalis pro-
 mio exhilarandum, evocarit. Tu inquam in eo
 ipso non concedis, qui ut in omnibus vivo con-
 sensisti, ita etiamnum post illius fata eadem planè
 devotionis monumenta in honorem gloriofæ as-
 sumptionis Deiparæ erigi curas.

Plura habuissem Reverendissime; Perillustres
 & Generosi Domini oculis vestris & luci publicæ
 subjicienda, nisi ea ab oblivionis interitu jam per
 alios vindicata, eaque omnia quæque dixi, quæq;
 dicere potui, nominibus vestris minora compe-
 rissim: hinc HÔRDIOS ^(l m n) vos nominasse fa-
 tis me dixisse reor: siquidem stirpi huic pro-
 prium semper produxisse præclaros, quæ hodie-
 dum ita ramos in Westphaliâ explicuit, ut non so-
 lum nobilissimarum potiorumque magno in nu-
 mero

(1) Nempe à Hôrde ut habet Stangef. lib. 3. annal. circ. Westphal.
 Chron. Marcan. Hôrde paguschi arx comitis adjacet ab Adolpho comite de
 Marcâ hoc anno 1340. ipso die assumpt. D. Virg. jure municipali donatur inq;
 civitatem erebitur. Habet verò denominationem suam à nobilibus cogna-
 minatis de Hôrde qui quondam hujus loci fuere Domini, &c.

(m) Joannes à Berswordt in m. s. nomencl. nobil. Westph.

(n) m. s. aut incerti Hôrde oppidulum est Tremonie vicinum ad inscharam
 fluvium sacrarum virginum parthenone & arce prefectoriâ superbum olim
 paruit nobili familia inde cognomen habenti quæ dudum à Markensibus co-
 mitibus pulsâ stormedensem in Westphalico ducatu Dynastiam per quatuor
 fere secula possedit.

D E D I C A T I O.

mero familiarum sed & Principum virorum, per
connubialia fœdera, affinitati conjuncta sit.

Quoniam ergo omnium vestrum affectum,
à primordio gentis vestræ, ad singularem Dei ac
Genitricis ejus cultum tetendisse firmiter sentio,
nec non multis nominibus me vobis ob multipli-
cem vestram erga me benevolentiam & favorem
obstrictum esse profiteor: non incongruum mihi
visum vobis id, quod maximè ad magnæ Matris
honorem & cultum cedit, repræsentare. Offero
ergo Reverendissime, Perillustres & Generosi Do-
mini, & dedico vobis hunc favum mellis ex melli-
flui Doctoris cœlesti dulcedine conditis dapibus
depromptum, & benedictæ Virginis Matris lacte
respersum. Quem quâ animi devotione Vobis
appono, eâdem vos benevolentia suscepturos esse
plane confido. Vivite, virete, florete, valete. Neu-
husij Calendis Januarijs, An. Christi c^o l^o clxxv.

R. mo Perillustr. et Generosiss.

Dominationum vestrarum

Devotissimus Servus

LAURENTIUS à DRIPT.

c

CONSENSUS
REVERENDISSIMI ET AMPLISSIMI
PRÆLATI
GLADBACENSIS.

EGO infra nominatus Abbas, facultatem concedo dilecto
nobis in Christo filio R. P. Laurentio à Dript Monasterij
nostri Professo SS. Theologiæ & Philosophiæ Lectori quon-
dam, nunc Reverendissimi & Celsissimi Episcopi ac Principis
Paderbornensis ac Coadjutoris Monasteriensis, &c. in Eccle-
siasticis Consiliario & Theologo Domestico, in lucem edendi
librum cui titulus est: *Doct̃or mellifluus sanctus Bernardus, ma-
gnæ Matris cultor eximius, & ex Ordine sancti Benedicti Sacella-
nus quartus.* In cujus rei fidem, hæc propriæ manus subscri-
ptione, & sigillo Abbatiali munitas dabam Gladbaci. An. 1674.
27. Decembris.

*Bruno Charmans Abbas
sancti Viti Martyris in Gladbach
Ord. S. Bened. Congr. Bursfeld.*

(L.S.)

7N

IN LAUDES
VIRGINIS MATRIS,

EX OPERIBVS
S. BERNARDI

à
LAURENTIO à DRIPT
concinnatas.

Melliflua Bernardus apis cognomina gessit,
Causa est, quod calamo non nisi mella daret.
Unde sed affluxit tanta illi copia mellis?
Mel de Virgineo pectore suxit apis.
Nam cum divina prostratus vota Parenti
Redderet, uberibus lac dedit illa suis.
Flosculus illa fuit, de quo sua mella bibebat
Bernardus, de quo mella legebat apis.
Bernardum loqueris, Bernardi mella refundis,
Dant tua mellifluum scripta redire Virum.
Bernardum sequeris Matris pia mella legentem,
Altera Laurenti mellea factus apis.
Propterea si te Bernardum dixero, quis me
Scribere falsa putet, dicere vera neget?

*Arguit hoc similis probat hoc utriusque Clientis
Matris amor, Matrem cantat uterque suam.
Matris amor parilis, similis devotio mentis,
Et labor equalis, testificantur idem.
Nec Tibi, quod Bernardus habet, pia Virgo negavit,
Cum Tibi, quæ promissæ mella, Patrona dedit.
Reddere perge piæ, quæ hausisti mella parenti,
Sic Bernardus eris, sicque futurus apis.
Donec cælesti te lacte MARIA rigabit,
Mellea mellifluo præmia Virgo dabit.*

IN ZOILUM.

*Carpere qui sciulus tentas mea mella, caveto:
Infigunt stimulos, mella tuentur apes.*

B. S. O. S. B.

VITA

VITA S. BERNARDI

I. CLARÆ-VALLIS ABBATIS.

S. Romanæ Ecclesiæ Doctoris,

Eximij, Mellifui, Theodidacti.

Inviçtissimi Sedis Apostolicæ Defensoris.

Acerrimi libertatis Ecclesiasticæ vindicis.

Magnæ admirabilis Matris Cultoris, & cultus Promotoris
ardentissimi, & ex Ord. S. Benedicti Sacellani quarti.

Magni zelatoris domus Dei.

Maximi inter Sanctos Thaumaturgi.

Hæreticorum mallei, Schismaticorum flagelli.

Sacræ Militiæ Præconis.

Orbis pacificatoris, Patriæ Patris.

Præsulum, ac Prælatorum Magistri.

Clericorum, ac Religiosorum omnium Mystagogi.

Qui probatus, & inventus est:

Vitæ innocentia, ANGELUS.

Ordinis propagatione, PATRIARCHA.

Futurorum prænotione, PROPHETA.

Verbi prædicatione, APOSTOLUS.

Corporis mortificatione, MARTYR.

Fidei zelo, CONFESSOR.

Mentis & corporis puritate, VIRGO.

EX DIVERSIS AUTHORIBUS COLLECTA.

BERNARDVS Fontanis in Burgundia paterna
ditionis oppido natus, Tesselinum patrem, matrem
Aletb de Monte Barro præstantissima generis nobi-
litate parentes habuit. Fuit in omni vita admiran-
dus. Adolescens cum formâ & moribus esset eximijs,
plures de sequiori sexu, in sui illicitum inflammatas amorem, & ad ea

A

que

qua castitati ac virginitati adversa sunt sollicitantes, generose à se repulsi, & de libidine non semel gloriosissime triumphavit, vita quàm virginitatis & castitatis jacturam pati malens; & gelidissimo stagno impuri amoris & ardoris flammam extinguens. Monachicum institutum Cistercij appetens, fratres suos hoc propositum impedire cupientes, mellifluis oris sui eloquio ita commovit; ut non solum à sententia detereretur, sed & in suam sententiam traheret, ut triginta secum juvenes eandem Religionem susciperent. Tanta fuit efficacia sermonis ejus, ut matres filios absconderent, amici amicos, uxores maritos averterent, veritatem sicut ferro magnes, sic corda eorum ad divinum amorem, & seculi fastidium traherentur. Divinarum rerum meditationi sic erat immersus, sic à voluptatibus carnis & sensualitatis abstractus; ut angelum, non hominem, seu alterum ex eremo prodixisset Ioannem, qui nec manducaret nec biberet, crederes: crudum sagimen pro butyro, oleumque pro aqua, comederet & biberet; tormentum subire se putans, dum corpori necessaria ministranda essent.

Ex Monacho Abbas, rigorem in se & suis auxit, summam penuriam Deo sapius miraculose supplente, & necessaria ministrante. Nec sanctitatis solum, sed & summa divinitus infusa prudentia laude excelluit: summis quibusque Principibus, sed & summo Christi in terris vicario Bernardi consilium certatim expetentibus. Petri Leonis Antipapæ superbiam, & conatus fregit. Romanorum Imperatori pro Ecclesia Dei murum se opposuit, & investituras Episcoporum repetentem, mira auctoritate compefcuit. Guilhelmum Aquitania Ducem miraculose convertit: hereticosque, & schismaticos tota passim Europa verbis, scriptis, vita exemplo, prodigiis & miraculis quotidianis felicissime profligavit. Tanta fuit illius toto mundo estimatio, ut ceteratim post illum currerent, alijs pilos vestium illius vellicantibus, alijs manus & amictum exosculantibus, solo ejus eorumque, contactu beatos se arbitrantibus: ipso in tanto mundi plausu, & applausu insensibili permanente, nec quidquam de religiosa humilitate remittente, summosque

summosq; honores, interq; eos Genuensem & Mediolanensem Episcopatus, sui & honorum victor genere recusante.

Magna & admirabilis Matris Virginis amore & favore fuit illustrissimus: ab eadem non semel virgineo lacte potatus, & in monasterio Affligemiensi ex imagine his verbis, Salve Bernarde, salutatatus, & à SS. Benedicto & Laurentio, eum morbo afflictum in visentibus, prodigiose curatus. Mirabilia sunt quae fecit & scripsit, tantaq; scriptis ejus inest dulcedo, tam mellea suavitas, ut legentes in amorem & admirationem rapiant: satq; clarè appareat scientiam non studio aut labore acquisitam, sed divinitus infusam habuisse: integros contextus ex sacris litteris ita connectens, ut mera verba scripturae sacra loqui, & scribere, & Doctoris melliflui Encomium jure merito indeptus videatur. Sed in ijs prae omnibus ardentissimus in Deiparentem amor intantum emicat: ut quodammodo impossibile sit S. Bernardum legere, & in amorem ejusdem magnae Matris non rapi. Nihil illis inest, quod vel erroris, vel dubij suspicionem habeat, si modo ejusdem contextus quis apprimè calleat & obscuriora cum clarioribus conferat: ut quod D. Hieronymus ad Lætam de libris S. Hilarij pronuntiavit: quod scilicet sine ulla erroris suspitione legi, & inoffenso pede percurri possint: id aequali & majori jure de operibus Doctoris melliflui Bernardi asseverari possit.

Magna sunt Encomia, quibus eum, ejusq; scripta, quot quot post illum vixerunt, celebrant: de quibus vide Innoc. II. Hildebertum Episcopum Cenomanensem, B. Guericum Abbatem Igniacensem, Petrum venerabilem Abbatem Cluniacensem, Ottonem Episcopum Frisingensem, Alexandrum III. in litteris Canonizationis, Cæsarium Heisterbacensem, Andream Sylvium, S. Bonaventuram, Gaufridum Claravallensem, Jacobum de Vitriaco S. R. E. Cardinalem, S. Mechtildem, S. Gertrudem, B. Henricum Sufonem, Franciscum Petrarcham, Joannem Gerson Cancell. Parisiensem, Carolum V. Pium V.

Sixtum Senensem, Gregorium XIV. Petrum Canisium, B. Aloysium Gonzagam, Claudium Aquaviva, & plurimos alios quos in operibus S. Bernardi An. 1641. pulcherrimè editis, & in quinque tomos distributis, in introductione à pag. 99. usq. ad pag. 106. adducit aeterna memoria dignus Jacobus Merlo-Horstius SS. Theolog. Licentiatus, & B. MARIÆ in pasculo Coloniae quondam Pastor. Nec solum hi, sed & ipsi catholicae fidei antagonista, summis Bernardum laudibus celebrant. Veritatis maximum argumentum est teste Chryf. hom. 82. in Joan. cum quis inimicos in testimonium adducit, & juxta Hieron. illud testimonium verum est, quod ab inimica voce profertur. Martinus Lutherus in colloq. conviv. de PP. Ecclesiae: Bernardus, ait, omnes ecclesiae Doctores vincit. Joannes Calvinus lib. 4. instit. cap. 11. §. 10. Bernardus Abbas, ait, in libris de consideratione ita loquitur, ut veritas ipsa loqui videatur. Daniel Heinsius Orator & poeta excellens, volum. orat. 3. Quis, inquit, suavius Bernardo scribit? cujus ego meditationes rivum paradisi, ambrosiam animarum, pabulum angelicum, medullam pietatis, vocare soleo. Praetereo Bucerum, Neandrum, Oecolampadium, & Melanchthonem, quorum de S. Bernardo elogia vide loco citato.

Obijt maximus hic Regula sanctissimi P. Benedicti Restitutor & Reformator, aetatis suae anno 63. Domini 1153. triplici laurea Virginum, Martyrum, Doctorem, unde quaq. dignissimus, tantis prodigiis, & hominum ad ejus sepulchrum concursu celebris: ut Abbas, ne disciplina regularis pateretur, metuens, eidem in virtute sanctae obedientiae à miraculis patranda abstinere praeciperet; ipso usq. ad mortem, & post eam promptè parente; eo solum in hodiernam usq. diem continuato, quod in lapide in quo sacrum ejus corpus de more ablutum fuerat, omni hora velut ad corporis praesentiam umbra apparere videatur, excavato etiam ab haereticis lapide, eadem nihilominus consequente & redeunte.

TOMUS I.

TOMUS I.

Ex Tomo primo Doctoris melliflui, qui continet Epistolas, nihil speciale occurrit proposito seruiens, quàm Epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses super immaculata Conceptione, quam ad finem operis certas ob causas remitto.

TOMUS II.

Ex Sermone secundo de Adventu, num. 4. et 5.

HX his manifestum jam arbitror, quænam sit virga de radice Jesse procedens: quis verò flos super quem requiescit Spiritus sanctus? Quoniam *Virgo Dei Genitrix Virga est, Flos Filius ejus.* Flos itaque filius virginis, flos candidus & rubicundus, electus ex millibus. *Cant. 5.* Flos in quem prospicere Angeli desiderant, flos ad cuius odorem reviviscunt mortui: & sicut ipse testatur, *flos campi est, & non horti.* Campus enim sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impinguatus fimo. Sic omnino, sic virginis alvus floruit, sic inviolata, integra & casta *MARIÆ* viscera; tanquam pascua æterni virosis florem protulere, cuius pulchritudo non videat corruptionem, cuius gloria in perpetuum non marcescat. O Virgo virga sublimis, in quam sublime verticem sanctum erigis! usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O verè cœlestis planta, pretiosior

tiosior cunctis, sanctior universis! O verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis! Deprehensa est maligne serpens, versutia tua, nudata est planè falsitas tua. Duo imposueras Creatori, mendacij, & invidiæ infamaveras eum: sed in utroque convictus es esse mentitus. Siquidem & ab initio moritur cui dixeras: *nequaquam morieris, Gen. 3. & veritas Domini manet in aeternum, Psal. 118.* Sed & nunc responde si potes, quam ei arborem, cujus arboris fructum invidere potuit, qui ne hanc quidem virgam electam & fructum sublimem negavit? Etenim qui proprio filio non pepercit, *Rom. 8.* quomodo non omnia simul cum illo donavit?

Sed jam advertistis (ni fallor) quoniam virgo regia ipsa est via per quam Salvator advenit, procedens ex ipsius utero tanquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergò viam studeamus & nos dilectissimi ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. *Per te accessum habeamus ad filium, ò benedicta Inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater salutis: ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra; tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos representa. Fac ò benedicta, per gratiam quam invenisti, per prerogativam quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti: ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoq; intercedente participes faciat nos gloriæ & beatitudinis suæ, Iesus Christus filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.*

S. P.

S. P. BERNARDI ABBATIS.

De laudibus Virginis Matris, super verba Evang.
Missus est Angelus Gabriel, &c. Luc. 1.

HOMILIAE IV.

PRÆFATIO.

Scribere me aliquid & devotio jubet, & prohibet occupatio. Verum tamen quia præpediente corporali molestia, Fratrum ad præsens non valeo sectari conventum: id tantillum otij, quod vel mihi de somno fraudans in noctibus intercipere sinor, non sinam otiosum. Libet ergo tentare id potissimum aggredi, quod sæpè animam pulsavit: loqui videlicet aliquid in laudibus Virginis Matris, super illa lectione Evangelica, in qua, (Lucà referente) Dominica Annuntiationis continetur historia. Ad quod sanè opus faciendum, etsi nulla fratrum (quorum me profectibus deseruire necesse est) vel utilitas moneat: dum tamen ex hoc non impediatur quoad quæq; ipsorum necessaria minus paratus inveniar, non arbitror eos debere gravari, si propria satisfacio devotioni.

HOMILIA I.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilea cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen virginis MARIA, Luc. 1. Quid sibi voluit Evangelista, tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? credo quia noluit nos negligerè audire, quod tam diligenter studuit enarrare. Nominat siquidem nuntium qui mittitur, Dominum à quo mittitur, Virginem ad quam mittitur, sponsum quoque virginis

nis, amborumque genus, civitatem, ac regionem proprijs designat nominibus. Ad quid hoc? putásne aliquid horum supervacuè positum sit? nequaquam: si enim nec folium de arbore sine causa, nec unus ex passeribus sine patre cœlesti cadit super terram: *Math. 10.* putem ego de ore S. Evangelistæ superfluum defluere verbum, præsertim in sacra historia Verbi? non puto: plena quippe sunt omnia supernis mysterijs, ac cœlesti singula dulcedine redundantia: si tamen diligentem habeant inspectorem, qui noverit sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Nempe in illa die stillarunt montes dulcedinem, *Joël 3.* colles fluxerunt lac & mel, quando rorantibus cælis desuper, nubibusque pluentibus justum, aperta est terra læta germinans Salvatorem: *Isa. 45.* quando Domino dante benignitatem & terra nostra reddente fructum suum, super illum montem montium, montem coagulatum & pinguem, misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax se osculatæ sunt, *1. Pf. 84.* Illo quoque in tempore unus iste inter cæteros montes non modicus, beatus videlicet Evangelista, dum desideratum nobis nostræ salutis exordium suo mellifluo commendavit eloquio, veluti perflante austro, atque è vicino sole radiante justitiæ, quædam ex eo spiritualia fluxerunt aromata. Utinam & nunc Deus emittat ei verbum suum, & liquefaciat ea nobis, perflet Spiritus ejus, & fiant intelligibilia verba Evangelica; fiant in cordibus nostris desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, fiantque dulciora super mel & favum!

2. Ait itaque, *missus est Angelus Gabriel à DEO.* Non arbitror hunc Angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa, crebrâ soleant ad terras fungi legatione: quod ex ejus nomine palàm intelligi datur, quod interpretatum *fortitudo Dei* dicitur: & quia non ab alio aliquo fortè excellentiore se (ut affo-
let)

let) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo positum est, à Deo: vel ideò dictum est à Deo, ne cui vel beatorum spirituum suum Deus, antequam Virgini, revelasse putetur consilium, excepto duntaxat Angelo Gabriele, qui utique tantæ inter suos inveniri potuerit excellentiæ, ut tali & nomine dignus haberetur, & nuntio. Nec discordat nomen à nuntio, Dei quippe virtutem Christum, quem meliùs nuntiare decebat, quàm hunc, quem simile nomen honorat? Nam quid est aliud fortitudo, quàm virtus? Non autem dedecens aut incongruum videatur, dominum & nuntium communi cense-ri vocabulo: cum similis in utroque appellationis, non sit tamen utriusque similis causa: Aliter quippe Christus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantum nuncupativè, Christus autem etiam substantivè. Christus Dei virtus & dicitur *Cor. 1.* & est, quæ forti armato (qui suum atrium in pace custodire solebat) fortior superveniens, ipsum suo brachio debellavit: & sic ei vasa captivitatis potenter eripuit. Angelus verò fortitudo Dei appellatus est, vel quod huiusmodi meruerit prærogativam officij quo ejusdem nuntiaret adventum virtutis: vel quia virginem naturâ pavidam, simplicem, verecundam, de miraculi novitate ne expavesceret, confortare deberet, quod & fecit, *Ne timeas* (inquiens) *Maria, invenisti gratiam apud Deum.* Sed & ipsius sponsum hominem utique nihilominus humilem ac timoratum, non irrationabiliter forsitan idem Angelus confortasse creditur, quam tunc ab Evangelista non memoretur. *Ioseph* (inquit) *fili David, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam.* Convenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur: imò quia tale illi negotium injungitur, rectè tali nomine designatur.

3. Missus est ergo Angelus Gabriel à Deo: quò? *In civitatem Galilee, cui nomen Nazareth.* Videamus, si (ut ait Na-

B

tha-

thanaël) à Nazareth potest aliquid boni esse, *Ioan. 1.* Nazareth interpretatur flos. Videntur autem mihi quoddam semen fuisse divinae cogitationis tanquam è caelo jactatum in terras, allocationes & promissiones factae caelitus ad patres, Abraham scilicet, Isaac & Jacob, de quo semine scriptum est: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissimus: & quasi Gomorrha similes essemus, Isai. 1.* Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quae ostensa sunt in exitu Israëli de Aegypto, in figuris & aenigmatibus per totum iter in deserto usque in terram promissionis, & deinceps in visionibus & vaticinijs Prophetarum, in ordinatione quoque regni ac sacerdotij usque ad Christum: Christus autem hujus seminis & horum florum non immerito fructus esse intelligitur: dicente David *Psal. 84. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Et iterum: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, Ps. 137.* In Nazareth ergo nunciatur Christus nasciturus: quia in flore speratur fructus processurus. Sed prodeunte fructu flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertransijt. Unde & Nazareth, civitas Galilaeae dicitur, id est, transmigrationis; quia nascente Christo, omnia illa transierunt, quae superius enumeravi, quae, ut ait Apostolus *1. Cor. 10. in figura contingebat illis.* Hos ergo flores & nos qui jam fructum tenemus, pertransisse videmus: & dum adhuc florere videbantur, transituri praevidebantur. Unde David *psal. 89. Manè sicut herba transeat, manè floreat & transeat: vespere decidat, induret & areseat.* Vespere etenim, id est, quando venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Unigenitum suum factum ex muliere, factum sub lege *Gal. 4.* dicente ipso, *Ecce nova facio omnia Isai. 43.* vetera transierunt & disparuerunt, quomodo in novitate succrescentis fructus flores decidunt & arefcunt. Unde rursus scriptum est: *Isai. 40. Fenum aruit, & flos decidit: verbum autem Domini manet*

manet

manet in æternum. Credo non ambigis quin verbum fructus sit; verbum autem Christus est.

4. Bonus itaque fructus Christus, qui manet in æternum, sed ubi est fœnum quod aruit? ubi est flos qui decidit? Prophetæ respondeat, *Isa. 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni.* Si omnis caro fœnum: ergo carnalis ille populus Judæorum ut fœnum aruit. An non fœnum aruit, dum idem populus ab omni spiritus pinguedine vacuus, sicca litteræ adhæsit? An non etiam flos decidit, quando gloriatio quam habebant in lege, non remansit? si flos non decidit, ubi ergo regnum, ubi sacerdotium, ubi Prophetæ, ubi templum, ubi deniq; magnalia illa, de quibus gloriari solebant, & dicere, *ps. 77. Quanta audivimus & cognovimus ea, & patres nostri narra- verunt nobis: Et iterum: Quanta mandavit patribus nostris nota fa- cere ea filiis suis.* Et hæc dicta sunt pro eo quod positum est, *in Nazareth civitatem Galilee.*

5. In illam ergo civitatem missus est Angelus Gabriel à Deo. Ad quem? *Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.* Quæ est hæc virgo tam venerabilis ut salutetur ab Angelo: tam humilis, ut desponsata sit fabro? Pulchra permixtio virginitatis & humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Sed quantâ putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus consecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem: si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur: ista præcipitur. Ad illam invitatis: ad istam cogitis. De illa dicitur: *Qui potest capere, capiat, Matth. 19.* de ista dicitur: *Nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cælorum. Matth. 18,* illa ergo remuneratur; ista exigitur. Po-

tes denique sine virginitate salvari: sine humilitate non potes. Potest inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam: sine humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuisset. *Super quem*, inquit *Isai. ult. requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum?* Super humilem dixit, non super virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset. Si super eam non requievisset, nec imprægnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Patet itaque quia ut de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet *Luc. 1. respexit humilitatem ancille sue Deus*, potius quàm virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde constat quia etiam ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit.

6. Quid dicis, virgo superbe? Maria virginem se oblita, gloriatur de humilitate: & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate? *Respexit* (ait illa) *humilitatem ancille sue*, Quæ illa? Virgo utique sancta, virgo sobria, virgo devota. Nunquid tu castior illa? nunquid devotior? aut nunquid tua forte pudicitia gratior castitate Mariæ? ut tu scilicet sine humilitate placere sufficias ex tua, quod illa non potuit ex sua. Denique quantò honorabilior es ex singulari munere castimoniam, tantò tibi tu majorem injuriam facis, quod ejus in te decorem fœdas permixtione superbiæ. Alioquin expedit tibi virginem non esse, quàm de virginitate inolescere. Non omnium quidem est virginitas: multò tamen pauciorum est cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, & sufficit tibi. Quod si & virgo & humilis es: quisquis es, magnus es.

7. Et tamen majus aliquid quod mireris in Maria: scilicet cum virginitate fœcunditas. A sæculo enim non est auditum,

tum, ut aliqua simul mater esset & virgo. Quòd si & cuius mater, attendas: quòd te tua super ejus mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc, ut te videas nec satis posse mirari? Nonne tuo, imò veritatis iudicio illa quæ Deum habuit filium, supra omnes etiam choros exaltabitur Angelorum? An non Deum & Dominum Angelorum Maria suum audacter appellat filium, dicens: *Luc. 1. Fili, quid fecisti nobis sic?* Quis hoc audeat Angelorum? sufficit eis, & pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt & vocati Angeli, testante David: *ps. 103. Qui facit, inquit, Angelos suos spiritus.* Maria verò matrem se agnoscens, majestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paulò post subdit Evangelista: *Luc. 2. Et erat, inquit, subditus illis.* Quis quibus? Deus hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt, subditus erat Mariæ. Nec tantum Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergò utrumlibet, & elige quid amplius mireris, sive Filij benignissimam dignationem, sive matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quòd Deus foeminae obtemperet, humilitas absque exemplo: & quòd Deo foemina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quod *sequuntur Agnum quocunq; jerit, Apoc. 14.* quibus ergò laudibus judicas dignam, quæ etiam præit?

8. Disce homo obedire; disce terra subdi; disce pulvis obtemperare. De auctore tuo loquens Evangelista *Luc. 2. Et erat, inquit, subditus illis,* haud dubium, quin Mariæ & Joseph. Erubescere, superbe cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? Utinam mihi aliquando tale aliquid cogitan-

ti, Deus respondere dignetur, quod & suo increpando respondit Apostolo. *Vade, inquit, Matt. 16. post me satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt.* Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo, & tunc verè non sapio ea, quæ Dei sunt. De ipso namque dictum est, *Luc. 2. Et erat subditus illis.* Si hominis, ô homo, imitari, dedignaris exemplum, certè non erit tibi indignum sequi auctorem tuum. Si non potes forsitan sequi eum quocunq̄ue jerit, dignare vel sequi quò tibi condescendit. Hoc est, si non potes sublimem incedere semitam virginitatis, sequere vel Deum per tutissimam viam humilitatis: à cujus rectitudine si qui etiam de virginibus deviaverint, ut verum fatear, nec ipsi sequuntur Agnum quocunq̄ue jerit. Sequitur quidem Agnum coinquinatus humilis, sequitur & virgo superbus; sed neuter quocunq̄ue jerit: quia nec ille ascendere potest ad munditiam Agni, qui sine macula est; nec is ad ejusdem mansuetudinem descendere dignatur, quâ scilicet non coram tondente, sed coram occidente se obmutuit. Attamen salubriorem elegit sequendi partem in humilitate peccator, quàm in virginitate superbus, eum & illius immunditiam sua humilis satisfactio purget, & hujus pudicitiam superbia inquinet.

9. Sed felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit fœcunditas: & nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit fœcunda virginitas: & incomparabilis prorsus fœcunditas, quam virginitas simul comitatur & humilitas. Quid horum non mirabile? quid non incomparabile? quid non singulare? Mirum verò si non hæstas in eorum ponderatione, quid tuâ judices digniùs admiratione, utrum videlicet potiùs stupenda sit fœcunditas in virgine, an in matre integritas: sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas:

humilitas:

militas : nisi quod indubitanter horum singulis præferenda sunt simul cuncta, & incomparabiliter excellentius est atque felicius, omnia percepisse, quam aliqua. Et quid mirum, si Deus qui mirabilis legitur *Psal. 67.* & cernitur in Sanctis suis, mirabilem se exhibuit in Matre sua? Veneramini ergo, conjuges, in carne corruptibili carnis integritatem: miramini etiam vos, sacrae virgines, in virgine fecunditatem: imitamini, omnes homines Dei Matris humilitatem. Honorate sancti Angeli vestri regis Matrem, qui nostrae adoratis virginis Prolem, ipsum utique nostrum pariter ac vestrum regem: nostri generis reparatorem, vestrae civitatis instauratorem. Cujus apud vos tam sublimis, inter nos tam humilis, à vobis pariter, & à nobis datur & dignitati debita reverentia, & dignationi honor & gloria, in saecula saeculorum. Amen.

H O M I L I A I I.

Super missus est Angelus.

1. **N**OVUM quidem canticum illud quod solis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipsam virginum Reginam cum caeteris, inò primam inter caeteras esse cantaturam, & nemo est qui ambigat. Puto autem illam, præter illud quod solis licet, cum omnibus tamen virginibus, ei (ut dixi) communè erit, dulciori quodam atque elegantiori carmine lætificaturam esse civitatem Dei. Cujus utique dulcisonos depromere vel exprimere modulos, ne ipsarum quidem virginum ulla digna invenietur: quia soli meritò decantandum servabitur, quæ sola de partu, & partu divino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu, non in se, sed in ipso quem peperit. Deus siquidem (Deus enim est quem peperit) Matrem suam singulari in cœlestibus donaturus gloriâ, singulari in terris prævenire curavit & gratiâ, quâ

quâ videlicet ineffabiliter & intacta conciperet, & pareret incorrupta. Porrò Deum hujusmodi decebat nativitas, quâ non nisi de virgine nasceretur. Talis congruebat & virgini partus, ut non pareret nisi Deum. Proindè factor hominum ut homo fieret, nasciturus de homine talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit & Humilem, de qua mitis & humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus saluberimumque exemplum ostensurus. Dedit virgini partum, qui ei jam antè & virginitatis inspiraverat votum, & humilitatis prærogaverat meritum. Alioquin quomodò Angelus eam in sequentibus *gratiâ plenam* pronuntiat, si quippiam vel parum boni, quod ex gratia non esset, habebat?

2. Ut igitur quæ Sanctum Sanctorum conceptura erat pariter & paritura, sancta esset corpore, accepit donum Virginitatis: ut esset & mente, accepit & Humilitatis. His nimirum Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter & corporis decore præfulgida, specie suâ & pulchritudine suâ in cœlestibus cognita, cœli civium in se provocavit aspectus, ita ut & Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, & cœlestem nuntium ad se de supernis educeret. Et hoc est quod nobis hîc Evangelista commendat, cum Angelum perhibet à Deo destinatum ad virginem. *A Deo* (inquit) *ad virginem*: id est, à cœlo ad humilem, à Domino ad ancillam, à Creatore ad creaturam, Quanta dignatio Dei, quanta virginis excellentia! Currite matres, currite filia, currite omnes quæ post Evam, & ex Eva, & parturimini cum tristitia, & parturitis. Adite virginalem thalamum, ingredimini, si potestis, pudicum sororis vestræ cubiculum: Ecce enim Deus mittit

mittit ad virginem, ecce affatur Angelus Mariam. Apponite aurem parieti, auscultate quid nuntiet ei, si fortè audiatis undè consolemini.

3. Lætare, pater Adam, sed magis tu, ô Eva mater, exulta: quia sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores: & quod infelicius est, priùs peremptores, quàm parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia, & tali filiâ, sed illâ ampliùs de qua malum ortum est priùs, cujus opprobrium in omnes pertransiit mulieres. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir, quid causetur adversus fœminam: qui utique dum se impudenter causare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est, dicens, *Genes. 3. Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.* Propterea curre, Eva, ad Mariam, curre mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ita matris opprobrium auferat: ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per fœminam, jam non erigitur nisi per fœminam. Quid dicebas, ô Adam? *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi?* Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quàm deleas culpam. Veruntamen sapientia vicit malitiam, cum occasionem veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis invenit. Redditur nempe fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem patriat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: Domine, mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi: & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Virginem. O admirandam & omnî honore dignissimam virginem! ô fœminam singulariter venerandam,

C

nerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem.

4. *Missus est* (inquit) *Angelus ad virginem*: Virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique (qualem describit Apostolus *Cor. 7.*) mente, & corpore sanctam. Nec noviter nec fortuitu inventam, sed à sæculo electam, ab Altissimo præcognitam & sibi præparatam, ab Angelis servatam, à Patribus præfiguratam, à Prophetis promissam. Scrutare scripturas, & proba quæ dico. Visne ut ego aliqua ex his testimonia hîc inferam? Ut pauca loquar de pluribus: quam tibi aliam prædixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: *Inimicitias ponam inter te & mulierem?* Et si adhuc dubitas an de Maria dixerit, audi quod sequitur: *Ipsa conteret caput tuum.* Cui hæc servata victoria est, nisi Mariæ? Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum.

5. Quam verò aliam Salamon requirebat, cùm dicebat *Prov. 31. Mulierem fortem quis inveniet?* Noverat quippe vir sapiens hujus sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem: quia tamen & Deum legerat promississe, & ita videbat congruere, ut qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans aiebat: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quod est dicere: Si ita de manu fœminæ pendet & nostra omnium salus, & innocentix restitutio, & de hoste victoria: fortis omninò necesse est ut provideatur, quæ ad tantum opus possit esse idonea. Sed *mulierem fortem quis inveniet?* At ne hoc quæsisse putetur desperando, subdit prophetando: *Procul & de ultimis finibus pretium ejus*, hoc est non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra; sed de cœlo, nec de cœlo proximo terris pretium fortis hujus mulieris, sed

à

à summo cœlo egressio ejus. Quid deindè rubus ille quondam Mosaiicus portendebat *Exod. 3.* flammam quidem emittens, sed non ardens, nisi Mariam parientem, & dolorem non sentientem? Quid rogo, virga Aaron florida, nec humectata *Num. 17.* nisi ipsam concipientem, quamvis virum non cognoscentem? Hujus magni miraculi majus mysterium Esaias edisserit, dicens *Esa. 11. Egre dietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, virgam, virginem: florem, virginis partum intelligens.*

6. Sed si tibi quod nunc in flore Christus intelligi dicitur, superiori videtur adversari sententiæ, quâ non virga flore, sed floris fructu designari dicebatur, noveris in eadem Aaronica virga (quæ non solum floruit, sed & fronduit, & fructum emisit) non solum flore vel fructu, sed ipsis etiam frondibus eandem significari, *Exod. 14.* Noveris & apud Moysen, nec fructu virgæ, nec flore, sed ipsa virga demonstrari. Illa utique virga: qua feriente, aqua vel dividitur transituris, vel de petra excutitur bibituris. Nullum autem inconveniens est, diversis rebus diversis ex causis Christum figurari, & in virga quidem potentiam, in flore verò fragrantiam, in fructu autem saporis dulcedinem: in frondibus quoque sedulam ejus intelligi protectionem, quâ videlicet parvulos ad se confugientes sub umbra alarum suarum protegere non desinit, sive ab æstu carnalium desideriorum, sive à facie impiorum, qui eos affligerunt. Bona & desiderabilis umbra sub alis JESU, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. Misere mei, Domine JESU, misere mei: quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas, *Psalm. 56.* In hoc tamen Esaiæ testimonio, florem Filium, virgam intellige Matrem: quoniam & virga floruit absq; germine, & virgo concepit non ex homine: Nec virgæ virorem floris la sit emissio, nec virginis pudorem sacri partus editio.

7. Proferamus & alia virgini Matri. Deoq; Filio congrua, de Scripturis testimonia. Quid illud Gedeonis vellus significat, Jud. 6. quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis, in area ponitur, & nunc quidem lanâ, nunc verò areâ rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne virginis, & absque detrimento virginitatis? Qui utique distillantibus cœlis tota se infundit plenitudo divinitatis: adeò ut ex hac plenitudine omnes acceperimus, qui verè sine illa non aliud quàm terra arida sumus. Hinc quoque Gedeonico facto propheticum dictum pulchrè satis convenire videtur, ubi legitur *Psal. 71. Descendet sicut pluvia in vellus.* Nam per hoc quod sequitur, *& sicut stillicidia stillantia super terram:* idem datur intelligi, quod per inventam rore madidam aream. Pluvia quippe voluntaria quam segregavit DEUS hæreditati suæ, placidè priùs & absque strepitu operationis humanæ suo se quietissimo illapsu virginem demisit in uterum: postmodum verò ubique terrarum diffusa est per ora prædicatorum, non jam sicut pluvia in vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terram, cum quodam utique strepitu verborum, ac fonitu miraculorum. Si quidem recordatæ sunt nubes illæ, quæ portabant pluviam, præceptum sibi fuisse cum mitterentur *Matth. 10. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Quod & fecerunt. Etenim in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

8. Audiamus & Hieremiam nova veteribus vaticinantem, & quem præsentem monstrare non poterat, venturum & ardentem desiderantem, & fidenter promittentem: *Novum, inquit, Jerem. 31. creavit Dominus super terram: fœmina circumdabit virum.* Quæ est hæc fœmina? Quis verò iste vir? Aut si vir, quomodo à fœmina circumdatus? Aut si à fœmina circumdari potest, quomodo vir? Et ut apertiùs dicam, quomodo potest simul

simul & vir esse, & in utero matris? Hoc est enim virum à fœmina circumdari. Novimus viros, qui scilicet infantiam, pueritiam, adolescentiam, atque juventutem transeuntes ad gradum usque senectuti proximum pervenerunt. Qui ergo jam adeò grandis est, quomodo à fœmina circumdari potest? Si dixisset: Fœmina circumdabit infantem; vel fœmina circumdabit parvulum; nec novum videretur, nec mirum. Nunc autem quia nil tale posuit, sed dixit *virum*, quærimus quæ sit hæc novitas, quam Deus fecit in terra, ut fœmina circumdaret virum, & vir intra fœminei unius corpusculi membra sese cohiberet? Quid est hoc miraculi? *Nunquid potest homo* (ut ait Nicodemus Joan. 3.) *in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci?*

9. Sed verto me ad conceptum partumque virginalem, si fortè inter plurima nova ac mira, quæ ibi profectò inspicit, qui diligenter inquirat, etiam hanc quam de Propheta protuli, *Hierem. 31.* reperiam novitatem. Porrò ibi agnoscitur, longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana: Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactantem, sed Angelos reficientem: vagientem, sed miseros consolantem. Videas, si attendas, tristari lætitiâ, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minùs mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans. Cui jam illud quoque non occurrat, quod quærebam? Nunquid non facile tibi est inter hæc fœminam agnoscere virum circumdantem, cum Mariam videas virum approbatum à Deo JESUM suo utero circumplectentem? Virum autem dixerim fuisse JESUM, non solùm jam cum diceretur *vir propheta potens in opere & sermone Luc. 24.* sed etiam cum tenera adhuc infantis membra, Dei

mater blando vel foveret in gremio, vel gestaret in utero. Vir igitur erat Jesus necdum etiam natus, sed sapientiã non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientiã, vel potius non minor fuit sapientiã Jesus conceptus, quàm natus, parvus quàm magnus. Sive ergo latens in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans doctores in templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, æque profectò plenus fuit Spiritu sancto. Nec fuit hora in quacunque ætate suã quã de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur: sed à principio perfectus, à principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiã & intellectus, *Isai. 11.* spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiã & pietatis, & spiritu timoris Domini.

10. Nec te moveat, quod de illo legis in alio loco *Luc. 2.* *Jesus autem proficiebat sapientiã & ætate & gratiã apud Deum & homines.* Nam quod de sapientiã & gratiã hinc dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est: non quia videlicet aliquid ei novum accideret, quod antè non haberet, sed quod accidere videretur, quando volebat ipse ut videretur. Tu, homo, cum proficis, non quando nec quantumvis proficis, sed te nesciente tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At verò puer Jesus qui disponit tuam, ipse disponebat & suam, & quando volebat & quibus volebat sapiens apparebat, quando & quibus volebat sapientior, quando & quibus volebat sapientissimus: quanquam in se nunquam esset nisi sapientissimus. Similiter & cum semper omni gratiã plenus fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio eam nunc plus minus ostentabat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat. Constat ergo quia semper Jesus virilem animum

num habuit, etsi semper in corpore vir non apparuit. Cur denique dubito virum fuisse in utero, quem inibi Deum fuisse non ambigo? Minus quippe est, esse virum, quàm esse Deum.

ii. Sed vide si non etiam hanc Hieremias novitatem Esaias lucidissimè aperit, qui novos superiùs Aaronicos flores exposuit: *Ecce, inquit, Esa. 7. virgo concipiet, & pariet filium.* Et habes fœminam, scilicet virginem. Vis & de viro audire quid sit? *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel, id est, nobiscum Deus.* Fœmina itaque circumdans virum, virgo est concipiens Deum. Vides quàm pulchrè & concorditer Sanctorum miracula & mystica dicta sibi invicem concinant? Vides quàm stupendum sit hoc unum de Virgine & in Virgine factum miraculum, quod tot miracula prævenerunt, tot oracula promiserunt? Unus nimirum fuit spiritus Prophetarum: & licet diversis modis, signis & temporibus, eandem rem diversi non diverso spiritu & præviderunt & prædixerunt. Quod Moyse monstratum est in rubo & igne, Aar oni in virga & flore, Gedeoni in vellere & rore, hoc apertè Salomon prædixit in forti muliere & ejus pretio; apertius Hieremias præcinit de fœmina & viro, apertissimè Esaias declaravit de Virgine & Deo, Gabriel tandem exhibuit ipsam salutando. Ipsa namque est de qua nunc Evangelista: *Missus est (ait) Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam Ioseph.*

12. *Ad Virginem (inquit) desponsatam.* Quare desponsatam? Cùm esset, inquam, virgo electa, & ut ostensum est, virgo conceptura, virgo paritura, mirum cur desponsata fuerit, non nuptura. Nunquid vel hoc casu factum quis dixerit? Non est casu factum, quod rationabilis causa commendat, causa valdè utilis & necessaria, & divini profus adinventione consilij digna. Dicam quod mihi, imò quod ante me Patribus visum fuit. Illa utique fuit ratio desponsationis Mariæ, quæ & dubitationis Thomæ. Mos siquidem Judæorum erat, ut à die desponsationis

nis suæ, usque ad tempus nuptiarum, sponsis sponsæ traderentur custodiendæ, quatenus earum ipsi eò sibi pudicitiam curiosius servarent, quò sibi ipsi fideiores existerent. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est Dominicæ confessor resurrectionis: ita & Joseph Mariam sibi desponsando, ejusque conversationem in tempore custodiæ studiosius comprobando, factus est pudicitie fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia: & dubitatio Thomæ, & desponsatio Mariæ. Poterant quidem similis erroris laqueum nobis injicere, fidei videlicet in illo, castitatis in illa: veritatem in suspicionem adducere: sed valdè prudenter & piè factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firma sit certitudo. Nam & de Filij resurrectione citius quidem ego (qui infirmus sum) crediderim Thomæ dubitanti & palpanti, quàm Cephe audienti & credenti: & de Matris continentia facilius Sponso ejus custodienti & experienti, quàm ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti. Dic quæso, quis eam videns desponsatam & gravidam, non potius diceret corruptam quàm virginem? Non autem decebat hoc dici de Matre Domini. Tolerabilius verò atque honestius fuit, putari ad tempus Christum de conjugio fuisse natum, quàm de fornicatione.

13. Sed non poterat, inquis, Deus apertum aliquod ostendere signum, quo videlicet fieret, ut ejus nec ortus infamaretur, nec Mater criminaretur? Poterat utique; sed non poterat latere dæmones, quod scirent homines. Oportebat autem à principe mundi aliquamdiu celari divini consilij sacramentum: non quòd Deus si palàm opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret: sed quia ipse, qui non solùm potenter, sed etiam sapienter quæcunque voluit fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit: ita in hoc quoque
tam

tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed & prudentiam ostendere voluit. Et quanquam illud aliter quomodo vellet perficere potuisset, placuit ei tamen eo potius & modo & ordine hominem sibi reconciliare, quo noverat cecidisse: ut sicut diabolus prius seduxit fœminam, & postmodum virum per fœminam vicit: ita prius à fœmina virgine seduceretur, & post à viro Christo aperte debellaretur: quatenus malitiæ fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus cotereret, diabolo Deus & prudentior appareret, & fortior. Ita quippè decuit incarnatam Sapientiam spiritualem vincere malitiam, quò non solum attingeret à fine usque ad finem fortiter, sed & disponderet omnia suaviter *Sap. 8.* Attingit autem à fine usque ad finem, id est, à cœlo usque ad infernum: *Si ascendero, inquit psal. 138. in cœlum, tu illic es: si descendero infernum, ades:* Utrobique verò fortiter, quando & de supernis expulit superbum, & apud inferos spoliavit avarum. Conveniens ergo erat, ut suaviter quoque omnia cœlestia scilicet & terrena disponderet, quatenus & illic dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret: & hic debellaturus invidum, nobis prius suæ humilitatis & mansuetudinis valdè necessarium exemplum relinqueret: sicque mirabili fieret moderamine sapientiæ, ut & suis suavis & hostibus fortis appareret. Quid enim prodesset diabolum à Deo vinci, nobis manentibus superbis? Necessariò igitur desponsata est Maria Joseph, quando per hoc & à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & virginis tam verecundiæ parçitur, quam famæ providetur. Quid sapientiùs, quid digniùs divinâ providentiâ? Uno tali consilio secretis cœlestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra servatur fama Virginis Matris. Alioquin quando pepercisset justus adulteræ? Scriptum est autem *Matth. 1. Joseph autem vir ejus cum esset justus,*

D

E

& nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Benè cùm esset justus noluit eam traducere: quia sicut nequaquam justus esset, si cognitam ream consensisset; sic nihilominus justus non esset, si probatam innoxiam commendasset. Cùm ergo justus esset, & nollet eam traducere, voluit dimittere eam.

14. Quare voluit dimittere eam? Accipe & in hoc non meam, sed Patrum sententiam. Propter hoc Ioseph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum à se repellebat, dicens: *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum*; propter quod & centurio à domo sua eum prohibebat, cùm diceret: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, Matth. 8.* Ita ergo & Ioseph indignum & peccatorem se reputans, dicebat intra se, à tali & à tanta non debere sibi ultra familiare præstari contubernium, cujus supra se mirabilem expavescebat dignitatem. Videbat & horrebat divinæ præsentiae certissimum gestantem insigne: & quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expavit Petrus potentiae magnitudinem, expavit centurio præsentiae majestatem. Exhorruit nimirum & Ioseph, sicut homo, hujus tanti miraculi novitatem, mysterij profunditatem: & ideò occultè voluit dimittere eam. Miraris quod Ioseph prægnantis sese consortio virginis judicabat indignum, cùm audias & sanctam Elisabeth ejus non posse ferre præsentiam, nisi cum tremore quidem & reverentia? Ait namque *Luc. 1. Vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Ideò itaque Ioseph voluit dimittere eam. Sed quare occultè, & non palàm? Ne videlicet divortij causa inquireretur, exigereetur ratio. Quid enim vir justus responderet populo duræ cervicis, populo non credenti & contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobaverat, nonne mox increduli & crudeles Judæi subsannarent illum, lapidarent illam? Quando namque veritati crederent tacenti in utero, quam postea
con-

contempserunt clamantem in templo? quid facerent necdum apparenti, cui postmodum impias manus iniecerunt etiam miraculis coruscanti? Merito ergo vir justus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occultè dimittere eam.

15. Sin verò aliter quis sentiat; & Ioseph sicut hominem dubitasse contendat, sed quia justus erat, noluisse quidem habitare cum ea propter suspicionem, nec tamen (quia pius erat) traducere voluisse suspectam, & idcò voluerit occultè dimittere eam; breviter respondeo, etiam sic dubitationem illam Ioseph fuisse necessariam, quæ divino meruit certificari oraculo. Sic quippè scriptum est *Matth. 1. Hec autem eo cogitante*, scilicet quòd occultè dimitteret eam, *apparuit ei Angelus in somnis, dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Itaque propter istas rationes desponsata est Maria Ioseph, vel potius (sicut ponit Evangelista) *Viro cui nomen erat Ioseph, Luc. 1.* Virum nominat, non quia maritus, sed quòd homo virtutis erat. Vel potius quia, juxta alium Evangelistam *Matth. 1.* non vir simpliciter, sed *vir ejus* dictus est: merito appellatur, quod necessariè putatur. Debuit ergo vir ejus appellari, quia necessè fuit & putari, sicut & pater Salvatoris non quidem esse, sed dici meruit, ut putaretur esse, dicente hoc ipso Evangelista *Luc. 3. Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph.* Nec vir ergo matris, nec filij pater extitit, quamvis certà (ut dictum est) & necessarià dispensatione utrumque ad tempus & appellatus sit & putatus.

16. Conjice tamen ex hac appellatione, quâ (licet dispensatorià) meruit honorari à Deo, ut pater Dei & dictus & creditus sit: conjice & ex proprio vocabulo (quod augmentum non dubites interpretari) quis & qualis homo fuerit iste Ioseph. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi

in Ægypto *Genes. 37.* & scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum: sed & castimoniam adeptum, innocentiam affecutum & gratiam. Siquidem ille Ioseph fraternam ex invidia venditus & ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfiguravit. Iste Ioseph Hierodiamam invidiam fugiens, Christum in Ægyptum portavit, *Matth. 2.* Ille domino suo fidem servans, dominæ noluit commisceri *Genes. 39.* Iste dominam suam Domini sui matrem virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodivit, *Matth. 1.* Illi data est intelligentia in mysterijs somniorum, *Gen. 40.* Isti datum est conscius fieri atque participem cœlestium Sacramentorum. Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo: Iste panem vivum è cœlo servandum accepit tam sibi quam toti mundo. Non est dubium quin bonus & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui Mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus & prudens, quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutritium: solum denique in terris, magni Consilij coadjutorem fidelissimum. Huc accedit, quod dicitur fuisse *de domo David.* Verè enim de domo David, verè de regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior. Planè filius David non degenerans à patre suo David. Prorsus, inquam, filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione: quem tanquam alterum David Dominus invenit secundum cor suum, cui tutò committeret secretissimum atq; sacratissimum sui cordis arcanum: cui tanquam alteri David incerta & occulta sapientiæ suæ manifestavit: & dedit illi non ignarum esse mysterij, quod nemo principum hujus sæculi agnovit: cui denique datum est quod multi Reges & Prophetæ cum vellent videre non viderunt; audire, non audierunt: non solum videre & audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, & nutrire & custodire. Non tantum autem Ioseph sed & Maria descendisse credenda est

est de domo David. Alioquin non esset desponsata viro de domo David, si non esset & ipsa de domo David. Ambo igitur erant de domo David: Sed in altera completa est veritas quam juravit Dominus David, altero tantum conscio & teste adimpletæ promissionis.

17. In fine autem versus, & nomen (inquit) *Virginis Maria*. Loquamur pauca & super hoc nomine, quod interpretatum maris stella dicitur, & Matri Virgini valdè convenienter aptatur. Ipsa namque aptissimè sideri comparatur: quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui læsione virgo parturit Filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobis illa stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est præclara & eximia stella super hoc mare magnum & spatiosum necessariò sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare; ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum: respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concùsserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientia fæditate confusus, judicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitia, desperationis abyssu, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubijs, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat, ab ore, non recedat à corde: & ut impetres ejus orationis suffragium,

gium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitiâ pervenis: & sic in temetipso experieris, quam merito dictum sit, *Et nomen virginis Maria.* Sed jam modicè pensandum est, ne & nos in transitu claritatem tanti luminis intueamur. Ut enim verbis Apostolicis utar *Matth. 17. Bonum est nos hic esse:* & libet dulciter contemplari in silentio, quod laboriosa non sufficit explicare locutio. Interim autem ex devotâ scintillantis sideris contemplatione, ferventior reparabitur in his, quæ sequuntur disputatio.

HOMILIA III.

Super missus est Angelus Gabriel, &c.

Libenter, ubi mihi congruere video, verba Sanctorum assumo, quò vel ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant quæcunque in eis lectori apposuerim. Ut autem nunc è Prophetis verbis incipiam. *Ve mihi,* non quidem (sicut Prophetæ Isai. 6.) *quia tacui,* sed quia locutus sum, *quoniam vir pollutus labijs ego sum.* Heu quot vana, quot falsa, quot turpia per hoc ipsum spurcissimum os meum evomuisse me recolo, in quo nunc cœlestia revolvere verba presumo. Vehementer timeo, ne jamjam audiam ad me dictum *Psal. 49. Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Utinam & mihi de superno altari non quidem carbo unus, sed ingens globus & igneus afferatur, qui videlicet multam & inveteratam prurientis oris mei rubiginem ad plenum excoquere sufficiat, quatenus Angeli ad Virginem, & Virginis ad ipsum grata invicem ac casta colloquia dignus habeat meo qualicumque replicare sermone. Ait enim Evangelista *Luc. 1. Et ingressus Angelus ad eam* (haud dubium

dubium quin ad Mariam) *dixit, Ave gratiâ plena, Dominus tecum.* Quò ingressus ad eam? puto in secretarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli astare orantibus, & delectari in his quos vident levare puras manus in oratione: holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. Mariæ autem orationes quantum placuerint in conspectu Altissimi, Angelus indicavit, qui ingressus ad eam, eam reverenter salutavit. Nec fuit difficile Angelo per clausum ostium penetrare ad abdita Virginis, qui utique ex subtilitate substantiæ suæ hoc habet in natura, ut nec seris ferreis ejus arceatur ingressus, quocumque suus eum impetus ferat. Angelicis enim spiritibus parietes non obstant, sed cuncta illis visibilia cedunt, cuncta æquè corpora quantumlibet solida vel spissa penetrabilia sunt eis ac pervia. Suspiciandum igitur non est, quod apertum invenerit Angelus ostiolum virginis: cui nimirum in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia: ne vel orantis perturbaretur silentium, vel continentis castitas tentaretur. Clauserat itaque etiam illâ horâ suum super se habitaculum Virgo prudentissima, sed hominibus, non Angelis. Proindè etsi ad eam potuerit intrare Angelus; sed nulli hominum facilis patebat accessus.

2. Ingressus ergo Angelus ad eam dixit: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum*: legimus in actibus Apostolorum *Act. 6.* & Stephanum plenum gratiâ, & Apostolos fuisse repletos Spiritu sancto, sed longè dissimiliter à Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria: nec illi conceperunt de Spiritu sancto quomodo Maria. *Ave* (inquit) *gratiâ plena, Dominus tecum.* Quid mirum si gratiâ plena erat, cum quo Dominus erat: sed hoc potiùs mirandum quomodo qui Angelum miserat ad Virginem, ab Angelo inventus est esse cum Virgine. Itane velocior Angelo fuit Deus, ut festinantem

nantem nuntium celerior ipse præveniret ad terras? Nec mirum: Nam cum esset rex in accubitu suo, nardus virginis dedit odorem suum, & ascendit in conspectu gloriæ ejus fumus aromaticus, & invenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus qui circumstabant *Cant. 3. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Statimque rex egrediens de loco sancto suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, *psal. 18.* & licet à summo cælo egressio ejus, nimis tamen pervolans desiderio prævenit suum nuntium ad virginem quam amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat. Quem prospiciens à longè venientem gratulans & exultans ait Ecclesia, *Cant. 2. Ecce venit is saliens in montibus, transiliens colles.*

3. Merito autem concupivit rex decorem virginis. Fecerat enim quidquid longè antea præmonita fuerat à patre suo David, dicente sibi, *psal. 44. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.* Et si hoc feceris, *concupiscet rex decorem tuum.* Audivit quippè & vidit, non ut quidam, qui audientes non audiunt, & videntes non intelligunt, sed audivit & credidit, vidit & intellexit. Et inclinavit aurem suam ad obedientiam, & cor suum ad disciplinam, & oblita est populum suum, & domum patris sui: quia nec populum suum augere prolis successione, nec domui patris sui relinquere curavit hæredem, sed quidquid honoris in populo, quidquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est ut stercora, ut Christum lucri faceret. Nec fefellit eam intentio: quando & Christum sibi filium vendicavit. nec propositum pudicitie violavit. Benè igitur gratiâ plena, quæ & virginitatis gratiam tenuit, & insuper fecunditatis gloriam acquisivit.

4. *Ave* (inquit) *gratiâ plena, Dominus tecum.* Non dixit Do-

Do-

Dominus in te, sed, *Dominus tecum*. Deus enim qui ubiq; æqualiter totus est per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis quàm in cæteris; & ipsarum aliter in bonis, quàm in malis est per efficaciam. Ita sanè est in in irrationalibus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantùm capitur etiam per amorem. In solis ergò bonis ita est, ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Nam dum suas voluntates ita justitiæ subdunt, ut Deum non dedecet velle quod ipsi volunt: per hoc quod ab ejus voluntate non dissentiunt, Deum sibi specialiter jungunt. Sed cùm ita sit cum omnibus sanctis, specialiter tamen cum Maria, cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solùm voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret, ac si de sua, virginisque substantiâ unum Christum efficeret, vel potius unus Christus fieret: qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei & totus Virginis esset, nec duo filij, sed unus utriusque filius. Ait itaque: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum*. Nec tantùm Dominus filius tecum, quem carne tuâ induis: sed & Dominus Spiritus sanctus, de quo concipis: & Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium suum facit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum miro modo & sibi reserat genitale secretum, & tibi servat virginalè signaculum. Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat uterum; ergò tecum.

5. *Benedicta tu in mulieribus*. Libet adjungere quod Elisabeth, cujus hæc verba sunt, prosecuta subjunxit: *Et benedictus fructus ventris tui*. Non quia tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui: sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideò tu benedicta. Verè etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes: de cujus plenitu-

nitudine tu quoque accepisti cum cæteris, etsi differentiùs à cæteris. Ac propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus, ille verò benedictus non in hominibus, non inter Angelos, sed qui est, ut ait Apostolus *Rom. 9. super omnia benedictus Deus in sæcula*. Dicitur benedictus vir, benedictus panis, benedicta mulier, benedicta terra, vel si quid tale in creaturis benedictum esse memoratur, sed singulariter benedictus fructus ventris tui, cum sit super omnia benedictus Deus in sæcula.

6. Benedictus ergo fructus ventris tui. Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. Hujus odoriferi fructus fragrantiam sentiebat qui dicebat *Gen. 27. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. An non verè benedictus, cui benedixit Dominus? De sapore hujus fructus quidam quòd gustaverat taliter eructabat, dicens *psal. 33. Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*. & alibi *psal. 30. Quam magna multitudo dulcedinis tue, Domine, quam abscondisti timentibus te*. Et alius quidam *1. Pet. 2. Si tamen, inquit, gustastis quoniam dulcis est Dominus*, Et ipse fructus de se, invitans nos ad se *Ecol. 24. Qui edit me, ait, adhuc esuriet: & qui bibit me, sitiet*. Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium & sitientium justitiam, & esca & potus est. Audisti de odore, audisti de sapore, audi & de specie. Si enim fructus ille mortis non solum suavis fuit ad vescendum, se etiam, teste Scripturâ *Gen. 3. delectabilis aspectu*, quanto magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere, in quem teste aliâ scripturâ, *1. Pet. 1. desiderant Angeli prospicere?* Cujus pulchritudinem in Spiritu videbat, & in corpore videre cupiebat, qui dicebat *Psal. 49. Ex Sion species decoris ejus*. Et ne mediocre tibi videatur commendasse decorem: recole quod in alio psalmo legis *psal. 44. Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum*.

7. Benedictus ergo fructus ventris tui, cui benedixit Deus in æternum. Ex cujus benedictione benedicta etiam tu in mulieribus; quia non potest mala arbor fructum facere bonum. Benedicta, inquam, tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem evasisti, quâ dictum est, *Gen. 3. In tristitia paries filios; nihilominus illam, quâ secutum est, maledicta sterilis in Israël: ac singularem consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneat, nec cum dolore parturias. Dura necessitas, & grave jugum super filias Evæ. Et si pariunt, cruciantur: & si non pariunt, maledicuntur. Et dolor prohibet parere, & non parere maledictio. Quid facies, virgo, quæ hæc audis, quæ hæc legis? Si parturis, angustiari; si sterilis manes, malediceris. Quid eliges, virgo prudens? Angustiæ, inquit, mihi sunt undique: melius est tamen mihi maledictum incurrere & castam manere, quàm prius quidem concipere per concupiscentiam, quod merito post eum dolore parturiam. Hinc etenim etsi video maledictum, sed non peccatum: illinc verò peccatum simul & cruciatum. Deniq; hæc maledictio quid est, quàm hominum exprobatio? Neque ob aliud sanè dicitur sterilis maledicta, nisi quòd opprobrio & contemptui sit habenda, tanquam inutilis & infructuosa, & hoc in Israël tantum. Mihi autem pro minimo est, quòd hominibus displiceo, dum me possim virginem castam exhibere Christo. O virgo prudens, ô virgo devota, quis te docuit, Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ justitia, quæ pagina veteris testamenti vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, & in terris angelicam ducere vitam? Ubi legeras, beata virgo, *Sapientia carnis mors est, Rom. 8. & Curam carnis ne per feceritis in desiderio Rom. 13.* Ubi legeras de virginibus, quia *cantant canticum novum, quod nemo alius cantare potest, & sequuntur Agnum quocumque jerit Apoc. 14.* Ubi legeras, laudatos esse *qui se castraverunt propter regnum cælorum? Matth. 19.* Ubi legeras,*

ras, *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus*, 2. Cor. 10. & *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit* 1. Cor. 7. ? Ubi audieras: *Volo vos omnes esse sicut meipsum*: & *Bonum est homini, si sic permaneat secundum meum consilium*? De virginibus, inquit, *præceptum non habeo, consilium autem do*. Tu verò non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum: nisi quod unctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei vivus & efficax antè tibi factus est magister, quàm filius: priùs instruxerit mentem, quàm induerit carnem. Christo ergò devoves te exhibere virginem, & nescis quod ipsi exhiberi te oportet etiam matrem? Eligis in Israël esse contemptibilis, & ut illi placeas cui te probasti, maledictum incurrere sterilitatis: & ecce maledictio benedictione commutatur, sterilitas fœcunditate recompensatur.

8. Aperi virgo sinum, expande gremium, præpara uterum: quia ecce facturus est tibi magna qui potens est, in tantum ut pro maledictione Israël, beatam te dicant omnes generationes. Nec suspectam habeas, prudens virgo, fœcunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies, sed sine peccato. Gravidam eris, sed non gravata: paries, sed non cum tristitia: nescies virum, & gignes filium. Qualem filium? Illius eris mater, cuius Deus est pater. Filius paternæ charitatis erit corona tuæ castitatis. Sapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis. Deum denique paries, & de Deo concipies. Confortare ergo virgo fœcunda, casta puerpera, mater intacta, quia non eris in Israël ultra maledicta, neque inter steriles deputata. Et si adhuc malediceris ab Israël secundum carnem, non quia sterilem vident, sed quia fœcundam invident: memento quòd & Christus maledictum pertulit crucis, qui te suam matrem benedixit in cœlis, sed in terris ab Angelo benedicta, & à cunctis generationibus

bus terræ meritò Beata prædicaris. Benedicta ergo tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

9. *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Solent virgines, quæ veræ virgines sunt, semper pavidæ, & nunquam esse securæ, & ut caveant timenda, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, & nimis arduum esse vivere Angelicè inter homines, & in terris more cœlestium conversari, & in carne coelibem agere vitam. Ac proindè quidquid novum, quidquid subitum fuerit ortum, suspectas habent insidias, totum contra se æstimant machinatum. Idcirco & Maria turbata est in sermone Angeli. Turbata est, sed non perturbata. *Turbatus sum*, inquit, *psal. 76. & non sum locutus, sed cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Ita ergo & Maria turbata est, & non est locuta, sed cogitabat qualis esset ista salutatio. Quòd turbata est, verecundiæ fuit virginalis: quòd non perturbata, fortitudinis: quòd tacuit & cogitavit, prudentiæ. *Cogitabat autem qualis esset ista salutatio.* Sciebat prudens virgo, quòd sæpè Angelus satanæ transfiguratur se in Angelum lucis: & quia nimirum humilis & simplex erat, nihil talè penitus à sancto Angelo sperabat, & ideò cogitabat qualis esset ista salutatio.

10. Tunc Angelus intuitus virginem, & varias eam secum volvere cogitationes facillimè deprehendens, pavidam consolatur, confirmat dubiam, ac familiariter vocans ex nomine, benignè, ne timeat persuadet. *Ne timeas* (inquit) *Maria, invenisti gratiam apud Deum.* Nihil hîc doli, nihil hîc fallaciæ est. Nullam circumventionem, nullas suspiceris insidias. Non sum homo sed spiritus, & Dei Angelus, non satanæ. *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum.* O si scires quantum tua humilitas Altissimo placeat, quanta te apud ipsum sublimitas maneat, Angelico te indignam nec alloquio judicares nec obsequio. Ad quid

enim indebitam tibi dixeris gratiam Angelorum, quæ invenisti gratiam apud Deum? Invenisti quod quærebas, invenisti quod nemo ante te potuit invenire, invenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Hæc est ergo gratia, quam invenisti apud Deum. Et hoc tibi signum. *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Iesum.* Intellige prudens virgo ex nomine filij promissi, quantam & quam specialem gratiam inveneris apud Deum. *Et vocabis (ait) nomen ejus Iesum.* Rationem hujus vocabuli alius Evangelista ponit, Angelo sic interpretante *Matt. 1. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

II. Duos Iesus lego in typo hujus quem nunc in manibus habemus, præcessisse, ambos populis præfuisse: quorum unus populum suum de Babylone eduxit *Esd. 2. & 5.* alter suum in terram promissionis introduxit *Iosue 21. & 23.* Et illi quidem illos, quibus præerant, ab hostibus defendebant, sed nunquid salvabant à peccatis eorum? Is autem noster Iesus, & à peccatis salvat populum suum, & introducit in terram viventium. *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quis est hîc qui etiam peccata dimittit? Utinam & me peccatorem dignetur Dominus Iesus annumerare populo suo, ut salvum me faciat à peccatis meis. Verè enim beatus populus, cujus iste Iesus Dominus Deus ejus, quia ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Vereor autem ne multi se profiteantur esse de populo ejus, quos tamen ipse non habeat pro populo suo: vereor ne plerisque, qui quasi in populo ejus religiosiores esse videntur, ipse aliquando dicat: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me Matt. 15.* Novit enim Dominus Iesus qui sunt ejus; novit & quos elegerit à principio. *Quid me vocatis (ait Luc. 6.) Domine, Dne, & non facitis quæ dico?* Vis scire an pertineas ad populum ejus, vel potiùs vis esse de populo ejus? Fac quæ

quæ dicit Iesus; & computabit te in populo suo. Fac quæ jubet in Evangelio Dominus Iesus, quæ jubet in Lege & Prophetis, quæ jubet per ministros suos qui sunt in Ecclesia, obtempera ejus vicarijs præpositis tuis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis: & disce ab ipso Iesu, quia mitis est & humilis corde; & eris de beato populo ejus, quem elegit in hæreditatem sibi; eris de laudabili populo ejus, quem Dominus exercituum benedixit dicens *Esa. 19. Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Israël*, cui, ne fortè Israël carnalem æmuleris, etiam testimonium perhibet, dicens *Psal. 17. Populus quem non cognovi, servavit mihi, in auditu auris obedivit mihi.*

12. Sed audiamus quid idem Angelus sentiat de illo, cui necdum concepto, tale indidit nomen. Ait namque: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Benè magnus, quia filius Altissimi merebitur appellari. An non magnus, cujus magnitudinis non est finis? Et *quis magnus* ait psalm. 112. *sicut Deus noster?* Planè magnus, qui tam magnus, quàm Altissimus, quia & ipse Altissimus. Neque enim Altissimi Filius rapinam arbitratum se esse æqualem Altissimo, *Philip. 2.* Ille meritò arbitrandus est cogitasse rapinam, qui cum de nihilo in Angelicam formam factus fuisset, factori suo se comparans, usurpavit sibi quod filij Altissimi proprium est, qui utique in forma Dei à Deo non factus, sed genitus est. Altissimus enim Deus pater quamvis omnipotens sit, non potuit tamen vel æqualem sibi condere creaturam, vel inæqualem gignere filium. Fecit itaque Angelum magnum, sed non quantus ipse: & ideò nec altissimum. Solum autem Unigenitum, quem non fecit, sed genuit, Omnipotens omnipotentem, Altissimus altissimum, Æternus coæternum, ipsum sibi per omnia comparari, nec rapinam æstimat, nec injuriam. Rectè ergo hic erit magnus, qui filius Altissimi vocabitur.

13. Sed

13. Sed quare *hic erit*, & non potius est magnus, qui semper æqualiter magnus, non habet quo crescat, nec major post conceptum futurus sit, quàm antè vel sit, vel fuerit? An fortè propterea dixit, *erit*, quia qui magnus Deus erat, magnus homo futurus sit? Benè ergo *hic erit magnus*. Magnus homo, magnus doctor, magnus Propheta. Sic enim dicitur de eo in Evangelio, *Luc. 7. Quia Propheta magnus surrexit in nobis*. Et à minori quodam Propheta magnus itidem Propheta venturus promittitur. Ecce, inquit, veniet Propheta magnus, & ipse renovabit Ierusalem. Et tu quidem ô virgo parvulum paries, parvulum nutries, parvulum lactabis, sed videns parvulum cogita magnum. Erit enim magnus, quia magnificabit eum Deus in conspectu Regum, ad eò ut adorent eum omnes Reges, omnes gentes serviant ei. Magnificet ergo & anima tua Dominum, quia *hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*. Magnus erit & magna faciet tibi qui potens est, & sanctum nomen ejus. Quod enim sanctius nomen, quàm quod filius Altissimi vocabitur? Magnificetur & à nobis parvulis magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus est parvulus. Parvulus, ait *Esa. 9.* natus est nobis: & filius datus est nobis. Nobis, inquam, non sibi, qui utiq; ante tempora multò nobiliùs natus ex patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non Angelis quoque, qui cùm magnum haberent, parvulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis & datus, quia nobis necessarius.

14. Jam de nobis nato & dato faciamus ad quod natus est & datus. Utamur nostro in nostram utilitatem, de Salvatore salutem operemur. Ecce parvulus in medio statuitur. O parvulus parvulis desideratus! O verè parvulus, sed malitiâ, non sapientiâ! Studeamus effici sicut parvulus iste; discamus ab ipso quia mitis est & humilis corde: ne magnus videlicet Deus sine causâ factus sit homo parvus, ne gratis mortuus, nec in vacuum crucifixus.

cifixus. Discamus ejus humilitatem, imitemur mansuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus passionibus, lavemur in sanguine ejus, ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris: quoniam ad hoc ipse natus & datus est nobis: ipsum oculis Patris, ipsum offeramus & suis, quia & Pater proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum *Rom. 8.* & ipse Filius semetipsum exinanivit formam servi accipiens *Phil. 2.* ipse tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit *Esa. 53.* & pro transgressoribus rogavit, ut non perirent. Non possunt perire pro quibus Filius rogat ne pereant, pro quibus Pater tradidit Filium in mortem ut vivant. Æqualiter ergo ab utroque speranda est venia, quibus æqualis est in pietate misericordia, par in voluntate potentia, una in Deitate substantia, in qua unus cum eis Spiritus sanctus vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Super missus est Angelus Gabriel, &c.

I. **N**ON est dubium, quidquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere; & rursùm, cùm Filium honoramus, à gloria Matris non recedimus. Nam si juxta Salomonem *Prov. 10. filius sapiens gloria est patris*, quantò magis gloriosum est matrem ipsius effici Sapientiæ? sed quidego tento in ejus laudibus, quam laudabilem prædicant Prophetæ, perhibet Angelus, narrat Evangelista? Non ergo laudo quia non audeo: sed tantùm replicò devotus, quod jam explicavit per os Evangelistæ Spiritus sanctus. Sequitur namque, & ait: *Et dabit illi dominus Deus sedem David Patris sui.* Verba sunt Angeli ad Virginem de promisso Filio, promittentis, quòd debeat possidere

F

regnum

regnum David. Quòd de stirpe David duxerit originem Dominus Iesus, nemo dubitat. Quæro autem quomodò dederit ei Deus sedem David patris sui, cum ipse in Hierusalem non regnaverit, quinimò turbis eum volentibus constituere regem, non acquieverit, sed ante faciem Pilati prostratus sit: *Regnum meum non est de mundo Ioan. 18.* Denique quid magnum promittitur ei qui sedet super Cherubim, quem Propheta vidit sedentem *super solium excelsum & elevatum Esa. 6. & 37.* sedere in throno David patris sui: sed novimus quandam aliam Hierusalem ab ea, quæ nunc est, in qua regnavit David, significatam, multò istâ nobiliorem, multò ditiozem. Hanc igitur puto hîc fuisse significatam, illo videlicet usu loquendi, quo sæpe reperis in scripturis significans poni pro significato. Tunc sanè dedit illi Deus sedem David patris sui, quando constitutus est Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Sed hic Propheta de quo regno dixerat, expressiùs aperuisse videtur, in eo quod non in Sion posuit, sed super Sion. Nam ideò fortassis dictum est ad David psal. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, de quo & dictum est per alium Prophetam Esa. 9. *Super solium David & super regnum ejus sedebit.* Vides quia ubique reperis, *super: Super Sion, super sedem, super solium, super regnum.* Dabit ergo ei dominus Deus sedem David patris sui, non typicam, sed veram, non temporalem, sed æternam, non terrenam, sed cœlestem. Quæ idcirco (ut jam dictum est) memoratur fuisse David: quia hæc, in qua temporaliter sedit, æternæ illius gerebat imaginem.

2. *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Hîc quoq; si domum Iacob temporalem accipimus, quomodò in illa quæ æterna non est, in æternum regnaturus est? Quærenda est ergo domus æterna Iacob in qua regnat in æternum, cujus regni non erit finis. An non denique domus illa

Iacob

Iacob exasperans impiè abnegavit eum, & insipienter respuit ante faciem Pilati: quando ille perhibente *Ioan. 19. Regem vestrum crucifigam?* uno ore respondendo clamavit: *Non habemus regem nisi Cæsarem?* Require itaque Apostolum, & discernet tibi eum qui in occulto Iudæus est, ab illo, qui in manifesto *Rom. 2.* & quæ in spiritu est circumcissionem, ab ea quæ sit in carne, & spiritualem Israël à carnali, & filios fidei Abrahæ à filijs carnis. *Non enim*, inquit *Rom. 9. omnes qui ex Israël, hi sunt Israëlita: neque qui semen Abrahæ, hi filij.* Sequere ergo & dic: Similiter non omnes qui ex Iacob, hi reputandi sunt in domo Iacob. Iacob quippe ipse est, qui Israël. Solos igitur qui in fide Iacob perfecti inveniendi sunt, reputa in domo Iacob, vel potius ipsos noveris fore spiritualem & æternam domum Iacob, in qua regnabit dominus Iesus in æternum. Quis ex nobis est qui juxta interpretationem nominis Iacob, supplantet diabolum de corde suo, luctetur cum vitijs & concupiscentijs suis: ut non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo IESUS, & nunc quidem per gratiam, in æternum per gloriam? Beati in quibus Iesus regnabit in æternum, quia & ipsi cum eo regnabunt, & regni ejus non erit finis. O quàm gloriosum est regnum illud, in quo reges congregati sunt, convenerunt in unum, ad laudandum scilicet & glorificandum eum, qui super omnes est Rex regum, & Dominus dominantium. De cujus splendissima contemplatione fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum *Matth. 13.* O si & mei peccatoris meminerit IESUS in beneplacito populi sui, cum venerit in regnum suum! O si me in illa die, quando traditurus est regnum Deo & Patri, visitare dignabitur in salutari suo, ad videndum scilicet in bonitate Electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, ut laudetur etiam à me cum hæreditate sua! Veni interim Domine IESU, aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu (qui debes) in

câ. Venit enim avaritia, & vendicat in me sibi sedem; jactantia cupit dominari mihi; superbia vult mihi esse rex, luxuria dicit, ego regnabo: ambitio, detractio, invidia & iracundia certant in me ipso de me ipso, cujus ego potissimum esse videar. Ego autem quantum valeo resisto; renitor quantum juvor; Dominum meum IESUM reclamo; ipsi me defendo; quia ipse me juris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo; & dico, non habeo regem nisi Dominum IESUM. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Jacob.

3. *Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Primò quidem prudenter tacuit, cum adhuc dubia cogitabat, qualis esset ista salutatio; malens nimirum humiliter non respondere, quàm temerè loqui quòd nesciret. Jam verò confortata & bene præmeditata Angelo quidem foris loquente; sed Deo intus persuadente (erat enim Dominus cum illa, dicente Angelo, *Dominus tecum:*) ita ergo confirmata, fide scilicet depellente timorem, lætitiâ verecundiam, dixit ad Angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Non dubitat de facto, sed modum requirit & ordinem. Nec enim quærit an fiet istud, sed *quomodo*. Quasi dicat: Cùm sciat Dominus meus, testis conscientia meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum, quâ lege, quo ordine placebit ei, ut fiet istud? si oportuerit me frangere votum, ut pariam tamen filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito. Fiat tamen voluntas ejus. Sin verò virgo concipiam, Virgo & pariam, quod utique si placuerit ei, impossibile non erit, tunc scio verè, quia respexit humilitatem ancillæ suæ. *Quomodo ergo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et respondens Angelus dixit ei: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Superiùs dicta est fuisse gratiâ plena, & nunc quomodo dicitur. *Spiritus sanctus*

sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Nunquid potuit repleti gratiâ, & necdum habere Spiritum sanctum, cum ipse sit dator gratiarum? Si autem jam Spiritus sanctus in ea erat, quomodo adhuc tanquam noviter superventurus re-promittitur? An fortè ideò non dixit simpliciter, *ueniet in te*, sed addidit *super*, quia & priùs quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc supervenire nuntiatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusus est super illam? At verò cum plena jam sit, illud ampliùs quomodo capere poterit? Si autem plus aliquid capere potest, quomodo & antè plena fuisse intelligenda est? An prior quidem gratia ejus tantum repleverat mentem, sequens verò etiam ventrem pertundere debeat, quatenus scilicet plenitudo divinitatis, quæ antè in illa, sicut & in multis sanctorum spiritualiter habitabat, etiam sicut in nullo Sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat.

4. Ait itaque: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid est, & *virtus Altissimi obumbrabit tibi*? Qui potest capere, capiat. Quis enim, exceptâ fortassis illâ, quæ hoc sola in se fœlicissimè meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibleis virgineis sese visceribus infuderit, & ut illa inaccessibleem accedere ad se ferre potuisset, de portiuacula ejusdem corporis cui se anima contemperavit, reliquæ massæ umbraculum fecerit? Et fortassè propter hoc maximè dictum est, *obumbrabit tibi*, quia res nimirum in sacramento erat, & quod sola per se Trinitas in sola & cum sola virgine voluit operari: soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicatur ergo: *Spiritus sanctus superueniet in te*, qui utique suâ potentiâ fœcundabit te. Et *virtus Altissimi obumbrabit tibi*: hoc est, illum modum quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus, & Dei sapientia Christus, sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget &

occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur & tibi. Ac si Angelus respondeat ad virginem: Quid à me requiris, quod in te mox experieris? Sciens scies, & feliciter scies, sed illo doctore, quo & auctore. Ego autem missus sum nuntiare virginalem conceptum, non creare. Nec potest doceri nisi à donante: nec potest addisci nisi à suscipiente. *Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Quod est dicere: Quoniam non est de homine, sed de Spiritu sancto quod concipies, concipies autem Altissimi virtutem, hoc est filium Dei: *Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*, id est, non solum qui de sinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id quod de tua substantia sociavit sibi, ex hoc jam vocabitur filius Dei, quemadmodum & is qui à Patre est ante sæcula genitus, tuus quoque amodo reputabitur filius. Sic autem & quod natum est ex ipso Patre, erit tuus, & quod nascetur ex te, erit ejus; ut tamen non sint duo filij, sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit, jam non tamen cujusque suus, sed unus utriusq; erit filius.

5. *Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Attende, quæso, quàm reverenter dixerit, *quod nascetur ex te sanctum.* Ad quid enim ita simpliciter sanctum & absque additamento? Credo quia non habuit quid propriè dignève nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis carne cum sua anima unico Patris erat uniendum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans, quicquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinitè, *sanctum*, quia quicquid illud sit, quod virgo genuit, sanctum proculdubio ac singulariter sanctum fuit, & per Spiritus sanctificationem, & per verbi assumptionem.

6. Et adjecit Angelus: *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit*

cepit filium in senectute sua. Quid fuit necesse etiam hujus sterilis Virgini nuntiare conceptum? Nunquid fortè dubiam adhuc & incredulam oraculo, recentiori voluit confirmare miraculo? Absit. Legimus & Zachariæ incredulitatem ab hoc ipso Angelo fuisse castigatam: Mariam autem in aliquo reprehensam non legimus, quin potiùs fidem ipsius Elifabeth prophetante laudatam agnovimus. *Beata*, inquit, *Luc. 1. quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino.* Sed ideò sterilis cognatæ conceptus Virgini nuntiatur, ut dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Porrò necesse erat non modico lætitiæ & amoris perveniente inflammari incendio, quæ filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus sancti mox fuerat conceptura. Neq; enim nisi in devotissimo corde atque hilarissimo, tanta se capere poterat dulcedinis & alacritatis affluentia. *Vel ideò* conceptus Elifabeth nuntiatur Mariæ, quia profectò decebat, ut verbum mox divulgandum ubique, priùs sciret Virgo per Angelum, quàm audiret ab homine: ne mater videlicet Dei à consilijs videretur amota, si eorum quæ in terris tam propè gererentur, remansisset ignara. *Vel ideò* potiùs conceptus Elifabeth Mariæ nuntiatus est, ut dum nunc Salvatoris, nunc Præcursoris edocetur adventum, rerum tempus & ordinem tenens ipsa meliùs postmodum scriptoribus ac prædicatoribus Evangelij reseret veritatem, quæ & plenè de omnibus à principio coelitus fuerit instructa mysterijs. *Vel ideò* adhuc nuntiatur Mariæ conceptus Elifabeth, ut audiens cognatam vetulam & gravidam, cogitet juvencula de obsequio, sicque illa properante ad visitandum, parvulo Prophetæ locus & occasio detur, quo minori adhuc Domino sui officij valeat exhibere primitias: & dum ad se invicem occurrit matrum infantumque ab alterutro excitata devotio, mirabiliùs fiat miraculum de miraculo.

7. Vide autem ne hæc tam magnifica, quæ ab Angelo audis prænuntiata, ab ipso speres perficienda. A quo ergo si quæris, ipsum audi Angelum. *Quia non erit, inquit, impossibile omne verbum*: tanquam diceret: Hæc quæ ego tam fideliter promitto, non de mea, sed illius qui me misit virtute præsumo: *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*. Quale enim illi verbum impossibile poterit esse, qui omnia fecit in verbo? Movet me & hoc in verbis Angelicis, quòd signanter non ait, quia non erit impossibile apud Deum omne factum, sed *omne verbum*. An idcirco posuit *verbum*, quia quàm faciliè possunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenus facere possunt, tam faciliè, imò incomparabiliter faciliùs, valet Deus opere implere, quicquid illi verbo valent exprimere? Dicam apertiùs. Si hominibus tam faciliè esset facere quàm dicere, quod volunt: & ipsis quoque non esset impossibile omne verbum. Nunc autem quoniam vulgaris & vetus sermo est, multùm interesse inter loqui & facere, sed apud homines, non apud Deum: soli Deo quia idem est facere quod loqui, idem loqui quod velle: meritò non erit impossibile apud Deum omne verbum. Verbi gratia: Potuerunt prævidere & prædicere Prophetæ virginem vel sterilem concepturam ac parituram, sed nunquid facere, ut conciperet & pareret? Deus autem qui dedit eis posse prævidere, quàm faciliè potuit quod voluit per illos prædicere, tam faciliè potuit nunc quando voluit per se ipsum, quod promisit implere. Siquidem apud Deum nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est: nec factum à verbo, quia virtus est: nec modus à facto, quia sapientia est: ac per hoc non erit impossibile apud Deum omne verbum.

8. Audisti Virgo factum, audisti & modum, utrumque mirum, utrumque jucundum. Jucundare filia Sion, & exulta factis filia Jerusalem *Zach. 9*. Et quoniam auditui tuo datum est gau-

gaudium & lætitia: audiamus & nos à te responsum lætitię, quod desideramus, ut jam exultent ossa humiliata. Audisti, inquam, factum, & credidisti: crede & de modo quod audisti. Audisti, quia concipies, & paries filium, audisti quòd non per hominem, sed per Spiritum sanctum: expectat Angelus responsum, tempus est enim ut revertatur ad Deum qui misit illum. Expectamus & nos, ò Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostrę, statim liberabimur si consentis. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat à te, ò pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exul de paradiso, hoc Abraham, hoc David. Hoc cæteri flagitant sancti Patres, patres scilicet tui, qui & ipsi habitant in regione umbrę mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat. Nec immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum: salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter. ò Domina responde verbum quod terra, quod inferi, quod expectant & superi. Ipse quoque omnium Rex & Dominus quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum: in qua nimirum proposuit salvare mundum. Et cui placuisti in silentio, jam magis placebis ex verbo: cum ipse tibi clamet è cælo: ò pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Nunquid non hoc est, quod quærebas, quod gemebas, quod diebus & noctibus orando suspirabas? Quid igitur? Tu es cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Imò tu ipsa, non alia. Tu inquam illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Iacob jam mori appropinquans vitam sperabat

G

æter-

æternam, cùm dicebat Gen. 49. *Expectabo salutare tuum Domine.* In qua denique & per quam Deus ipse Rex noster ante sæcula disposuit operari salutem in medio terræ. Quid ab alia speras, quod tibi offertur? Quid per aliam expectas, quod per te mox exhibebitur, dummodo præbeas assensum, respondeas verbum? Responde itaque citius Angelo, imò per Angelum Domino. Responde verbum, & suscipe Verbum. Profer tuum, & concipe divinum; emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Quid tardas? Quid trepidas? Crede, confitere & suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenus convenit nunc, ut virginalis simplicitas obliviscatur prudentiam. In hac sola re ne timeas, prudens Virgo, præsumptionem: quia etsi grata in silentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas necessaria. Aperi, Virgo beata, cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus, foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, & rursus incipias dolens quærere quem diligit anima tua! Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per confessionem.

9. *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Semper solet esse gratiæ divinæ familiaris virtus humilitas. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat suam gratiam. Humiliter ergo respondet, ut sedes gratiæ præparetur. *Ecce, inquit, ancilla Domini.* Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloriâ nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat! Non mediocris revera humilitatis insigne, nec oblatâ tantâ gloriâ oblivisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abjectione: magna profus & rara virtus, humilitas honorata. Si me miserum homuncionem meis decepta simulationibus ad aliquem vel mediocre honorem provexerit Ecclesia, Deo nimirum hoc vel
pro-

propter mea, vel propter subditorum peccata permittente: nonne statim oblitus qui fuerim, talem me puto, qualis ab hominibus (qui cor non vident) putatus sum? Credo sanè, conscientiam non attendo, & reputans non honorem virtutibus, sed virtutes honori, eò sanctiorem, quò superiorem me æstimo. Videas plerosque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos, subito intumescere, pristina oblivisci abjectionis: genus quoque suum erubescere, & infirmos dedignari parentes. Videas & homines perniciosos ad honores quosque Ecclesiasticos pervolare; moxque sibi applaudere sanctitatem, vestium duntaxat mutatione, non mentium; & dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo pervenerunt, quodque (si audeo dicere) adepti sunt nummis, attribuere meritis. Omitto autem de his, quos excæcat ambitio, & honor ipse superbiendi eis materia est.

10. Sed video (quod magis doleo) post spretam sæculi pompam, nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri gravius insolescere, & impatientes amplius fieri in claustro, quàm fuissent in sæculo. Quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt: ut quia videlicet ubi à pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab hominibus honores contemnuntur. Video & alios (quod non sine dolore videri debet) post aggressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negotijs; rursus cupiditatibus terrenis immergi: cum magna cura erigere muros, & negligere mores: sub prætextu quoque communis utilitatis, verba vendere divitibus, & matronis salutationes: sed & contra Imperatoris sui edictum concupiscere aliena; & sua cum lite repetere; non audientes Apostolum ex im-

perio Regis tubicinantem: *Hoc ipsum*, inquit 1. Cor. 6. *delictum est in vobis, quod causas habetis: quare non magis fraudem patimini?* Itane mundum sibi, & se mundo crucifixerunt, ut qui antea vix in suo vico vel oppido cogniti fuerant, modò circumeuntes provincias, & curias frequentantes, regum notitias, principumque familiaritates affecuti sint: Quid de ipso habitu dicam, in quo jam non calor, sed color requiritur, magisque cultui vestium quàm virtutum insistitur? Pudet dicere: vincuntur in suo studio mulierculæ, quando à monachis pretium affectatur in vestibus, non necessitas: nec saltem formâ religionis retentâ in habitu ornari, non amari appetunt milites Christi: qui dum se præparare ad prælium & contra aéreas potestates prætereundum paupertatis insigne debuerant, (quod utique adversarij valdè formidant) in molliæ vestimentorum pacis potiùs præferentes indicium, ultrò se hostibus sine sanguine tradunt inermes. Nec aliundè hæc omnia mala contingunt, nisi quod illam (quâ secum deservimus) deferentes humilitatem, dum per hoc cogimur inepta denuò sectari studia sæcularium, canes effimur revertentes ad vomitum.

11. Audiamus itaque quotquot tales sumus, quid illa responderit, quæ Dei mater eligebatur, sed humilitatem non obliviscebatur. *Ecce (ait) ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Fiat desiderij signum, non dubitationis indicium.* Et per hoc quod dicit, *fiat mihi secundum verbum tuum*, magis intelligenda est affectum exprimere desiderantis, quàm affectum requirere more dubitantis. Quanquam nil obstat intelligi, *fiat*, esse verbum orantis. Nemo quippe orat, nisi quod credit & sperat. Vult autem à se requiri Deus etiam quod pollicetur. Et idè fortè multa quæ dare disposuit, priùs pollicetur, ut ex promissione devotio exciteretur: sicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines

vult

vult salvos fieri, merita nobis extorquet à nobis: & dum nos prævenit tribuendo, quòd retribuatur, gratias agit, ne gratias tribuat. Hoc utique prudens Virgo intellexit, quando prævenienti se muneri gratuita promissionis, junxit meritum suæ orationis: *fiat* (inquiens) *mibi secundum verbum tuum*. Fiat mihi de verbo secundum verbum tuum. Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea secundum verbum tuum. Fiat obsecro mihi verbum non prolatum quòd transeat, sed conceptum ut maneat, carne videlicet indutum, non aère. Fiat mihi non tantum audibile auribus, sed & visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. Nec fiat mihi verbum scriptum & mutum, sed incarnatum & vivum: hoc est, non mutis figuris mortuis in pellibus exaratum, sed in forma humana meis castis visceribus vivaciter impressum: & hoc non mortui calami pictione, sed sancti Spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum est, nemini post me faciendum. Porrò multifariam multisque modis olim Deus locutus est Patribus in Prophetis: & alijs quidem in aure, alijs in ore, alijs etiam in manu factum esse verbum Domini memoratur: mihi autem oro ut in utero fiat juxta verbum tuum. Nolo autem ut fiat mihi aut declamatoriè prædicatum, aut figurativer significatum, aut imaginatoriè somniatum, sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter invisceratum. Verbum igitur quod in se nec poterat fieri, nec indigebat, dignetur in me, dignetur & mihi fieri secundum verbum tuum. Fiat quidem generaliter omni mundo, sed specialiter fiat mihi secundum verbum tuum.

*Excusatio S. BERNARDI, quòd locum istum
Evangelij post alios expositores tractandum sumpserit.*

Lectioem Evangelicam exposui, sicut potui: nec ignoro quod non omnibus placebit: sed scio me ob hanc rem multorum fortè indignationi obnoxium; & aut judicabor superfluus, aut præsumptor: quòd videlicet post Patres qui hunc ipsum locum plenissimè exposuerunt, rursus in eodem novus expositor ausus fuerim mittere manum. Sed si quid dictum est post Patres, quòd non sit contra Patres, nec Patribus arbitror, nec cuiquam displicere debere. Ubi autem dixi quod à Patribus accepi, dum sic absit typhus præsumptionis, ut non desit fructus devotionis, patienter audiant de superfluitate causantes. Noverint tamen qui me tanquam de otiosa & non necessaria explanatione suggillant, non tam intendisse exponere Evangelium, quàm ex Evangelio sumere occasionem loquendi, quod loqui delectabat. Si verò peccavi, quòd propriam magis ex hoc excitavi devotionem, quàm communem quaesierim utilitatem, potens erit pia Virgo apud suum misericordem Filium hoc meum excusare peccatum, cui hoc meum qualecung, opusculum devotissimè destinavi.

EX SERMONE III.

In Vigilia NATIVITATIS DOMINI

Num. 7. & consequenter.

TRia opera, tres mixturas fecit omnipotens illa majestas in assumptione nostræ carnis: ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Conjuncta quippe sunt invicem Deus & homo, Mater & Virgo, fides & cor humanum. Admirabiles istæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa, tamque divisa ab invicem, invicem potuerunt conjungi?

Et

Et primò quidem intuere creationem, positionem & dispositionem rerum, quanta sit videlicet in creatione potentia, quanta in positione sapientia, in compositione quanta benignitas. In creatione vide quàm multa & quàm magna potenter creata sunt, in positione quàm sapienter cuncta locata sunt, in bonitate quàm benignè suprema & infima connexa sunt, tam amabili quàm admirabili charitate. Huic enim limo terreno vim vitalem miscuit, ut in arboribus, undè surgit venustas in folijs, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus & medicina. Nec hoc contentus, adjecit etiam vim sensibilem limo nostro, ut in pecoribus, quæ non solùm vitam habeant, sed & sentiant, quinquepartita sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum, & ei vim rationalem immisit, ut in hominibus qui non solùm vivunt, sentiunt, sed & discernunt inter commodum & incommodum, inter bonum & malum, inter verum & falsum. Voluit quoque infirmiora nostra abundantiori gloriâ sublimare, & contraxit se majestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro jungeret, & in persona una sibi invicem unirentur Deus & limus, majestas & infirmitas, tanta vilitas & sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimiùs, nil viliùs limo, & tamen tantâ dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur: quidquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili quàm incomprehensibili Sacramento. Et attende, quia sicut in illa singulari divinitate Trinitas est in personis, unitas in substantia: sic in ista speciali commixtione Trinitas est in substantiis, in personis unitas: & sicut ibi personæ non seindunt unitatem: unitas non minuit Trinitatem; ita & hîc persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant unitatē. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter
omnia

omnia & super omnia opera sua. Verbum enim, & anima & caro in unam convenere personam, & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Hæc est prima & superexcellens mixtura, & hæc prima inter tres. Adverte homo quia limus es, & non sis superbus: quia Deo conjunctus es, & non sis ingratus.

Secunda mixtura, est virgo & mater, admirabilis planè & singularis. A sæculo non est auditum, quòd virgo esset, quæ peperit, quòd mater esset, quæ virgo permansit. Numquam juxta rerum ordinem virginitas ubi fœcunditas prædicatur, nec fœcunditas, ubi virginitas integra conservatur. Sola hæc est, in qua virginitas & fœcunditas obviarunt sibi, Ibi semel factum est, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Tertia est fides & cor humanum, & hæc quidem prima & secunda inferior, sed non minus forsitan fortis. Mirum enim est, quomodo cor humanum his duobus fidem accomodavit, quomodo credi potuit, quòd Deus homo esset: quòd virgo manserit, quæ peperisset. Sicut ferrum & testa jungi non possunt, sic & hæc duo nequeunt commisceri, si non misceat glutinum Spiritus sancti. Ergone credendum est, quòd iste Deus sit, qui ponitur in præsepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantium necessitatum injurias patitur, qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in sepulchro, & inter duos lapides concluditur excelsus & immensus? Illane virgo erit, quæ lactat puerum, cui maritus continuus comes est? in convivio, in thalamo? qui ducit illam in Ægyptum, reducit ab Ægypto, & solus cum sola tam longinquam, tam secretam conficit viam? Quomodo potuit hoc persuaderi generi humano, universo orbi terrarum? Et tamen tam facile, tam potenter persuasum est, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Juvenes & virgines,

gines, senes cum junioribus elegerunt mille mortibus mori, quàm vel ad momentum ab ista fide deficere.

Et hæc quidem mixtura excellens, sed excellentior secunda, tertia verò excellentissima est. *Primam* auris audivit, sed oculus non vidit: quia auditum est & creditum usque in fines terræ magnum illud pietatis Sacramentum: sed tamen oculus (Deus) non vidit absque te, quomodo te intra virginæ ventris angustias humano corpori conjunxisti. *Secundam* oculus vidit, quia se fecundam & virginem illa singularis Regina conspexit, quæ conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo: cognovit & Ioseph, non minus testis, quàm custos tantæ virginitatis. *Tertia* in cor hominis ascendit, cum quod factum est, sicut factum est, creditum est: cum magis oraculo quàm oculo credidimus, cum quæ dicta vel facta sunt, tenemus firmissimè, nullatenus dubitantes. In prima vide quid, in secunda per quid, in tertia propter quid Deus dederit tibi. Dedit tibi Christum per *MARIAM* propter sanitatem. In prima remedium est, quia ex Deo & homine cataplasma confectum est, quod sanaret omnes infirmitates tuas. Contusæ sunt autem & commixtæ hæc duæ species in utero virginis tanquam in mortariolo, sancto Spiritu tanquam pistillo illas suaviter commiscende. Sed quia indignus eras cui donaretur, datum est Mariæ, ut per illam acciperes, quidquid haberes, quæ per hoc, quod Mater est, genuit Deum, per hoc quod virgo est, exaudita est pro reverentia sua in causa tua, & totius generis humani. Si sola Mater esset, sufficeret ei ut salvaretur per filiorum generationem; si sola virgo, sufficeret sibi, nec benedictus fructus ventris ejus mundi pretium esset. Cum ergo in prima sit remedium, in secunda adiutorium est: quia nihil nos Deus habere voluit, quod per *MARIÆ* manus non transiret. In tertia autem meritum est, quia

H cum

cùm hæc firmiter credimus, jam meritum habemus, & in fide fanitas est, quia qui crediderit salvus erit *Marc. 16.*

EX SERMONE IV.

In Vigilia NATIVITATIS DOMINI,

In §. 3. *Ecce nova.* usque ad §. 7.

Ecce, ait Esai. 43. *nova facio omnia.* Quis hoc ait? Agnus utique qui sedebat in throno *Apoc. 5.* Agnus planè totus suavis, totus delectabilis, denique totus unctus. Hanc enim interpretationem habet nomen ejus, quod est Christus. Cui poterit asper aut durus videri, qui nec ipsi Matri in nativitate quidquam asperitatis, quicquam intulit læsionis? O nova verè miracula! Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. Mutata est in virgine nostra maledictio Evæ. Peperit enim filium sine dolore. Mutata est, inquam, maledictio Evæ in benedictionem, & sicut prædictum est per Angelum Gabrielem: *Benedicta tu in mulieribus, Luc. 1.* O beata, sola inter mulieres benedicta & non maledicta, sola à generali maledicto libera, & dolore parturientium aliena. Nec mirum, fratres, si dolorem non intulit Matri, qui dolores totius mundi tulit, secundùm quod Isaias ait, *Isai. 53.* *Quia verè languores nostros ipse tulit.* Duo sunt quæ timet humana fragilitas, pudor & dolor. Utrumque Christus tollere venit, unde & utrumque suscepit, quando (ut cætera fileam) morte, & morte turpissimâ condemnatus est ab iniquis. Itaq; ut fiduciam nobis daret quod tolleret hæc à nobis, prius Matrem suam immunem ab utroque servavit, ut nec in conceptu quidquam pudoris, nec in partu quidquam doloris existeret.

Accumulantur adhuc divitiæ, crescit gloria, innovantur signa, & miracula immutantur. Non solùm sine pudore conceptus, & sine dolore partus, sed & mater est sine corruptione.

O verè

Overè novitas inaudita! Virgo peperit, & post partum inviolata permansit, fœcunditatem prolis cum carnis integritate, & gaudium matris habens cum virginitatis honore. Jam securus expecto promissam mihi gloriam incorruptionis in carne mea, quandoquidem conservata per eum est incorruptio etiam in Matre sua. Facile ei per quem Mater ipsa incorruptionem non perdidit pariendo, ut & corruptibile hoc incorruptionem induat resurgendo.

Habes tamen adhuc majores divitias, habes gloriam amplio- rem. Mater est sine corruptione virginitatis, filius sine omni labe peccati. Non cadit in matrem Evæ maledictio, non cadit in prolem generalis illa conditio, de qua dictum est per Prophe- tam: *Nemo mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram, Job 15.* Ecce infans sine sorde, solus inter homines verax, imò veritas ipsa. Ecce Agnus sine macula, Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quis enim peccata melius tolleret, quàm is in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lavare me potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto derogat oculum meum, quæ sola sine pulvere est. Iste mihi festu- cam educat de oculo, qui non habet trabem in suo: imò iste tra- bem educat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in suo.

Vidimus certè divitias salutis & vitæ. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre. Quæris, à quo Patre? *Et fi- lius Altissimi vocabitur, Luc. 1.* Manifestum est quis Altissimus sit. Sed ne quis remaneat locus dissimulationis: *Quod ex te nascetur sanctum, (ait Angelus Gabriel ad MARIAM) vocabitur filius Dei.* Overè sanctum! Non dabis, Domine, sanctum tuum videre cor- ruptionem, quod nec matri quidem abstulit incorruptionem. Crescunt miracula, multiplicantur divitiæ, thesaurus aperitur. Quæ generat, & mater & virgo est; qui generatur, & Deus & ho- mo est. Sed numquid dabitur sanctum canibus, aut margaritæ

porcis? Abscondatur certè thesaurus noster in agro, & pecunia nostra in sacculo reponatur. Operiatur conceptus sine semine, matris desponsatione, partus sine dolore, vagitibus parvuli & mærore. Abscondatur & parturientis incorruptio legali purificatione; Infantis innocentia solitâ circumfisione. Absconde, inquam, absconde MARIA novi solis fulgorem, pone in præsepio, involve pannis infantem. Nam & ipsi panni divitiæ nostræ sunt. Pretiosiores siquidem panni Salvatoris omni purpurâ, & gloriosius hoc præsepe auratis regum folijs, denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris sæculi. Quid enim humilitate ditiùs, quid pretiosius invenitur, quâ nimirum regnum cœlorum emitur, & divina gratia acquiritur? Sicut scriptum est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, Matth. 5.* Et apud Apostolum: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, Jacob 4.* Habes commendatam à Deo humilitatem in nativitate. In hac enim exinanivit semetipsum, formam servi accipiens & habitu inventus ut homo.

EX SERMONE II.

Dominica I. post Octavam Epiphaniæ.

§. 4. & 5.

Quoties mihi necesse est Fratres post lachrymosas querimonias vestras, exorare Matrem misericordiæ, ut suggerat suo benignissimo Filio, quoniam vinum non habeatis? Et ipsa, dico vobis charissimi, si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ: quoniam misericors est, & Mater misericordiæ. Nam si compassa est verecundiæ illorum, à quibus fuerat invitata, multò magis compatietur nobis, si piè fuerit invocata. Placent enim illi nuptiæ nostræ, & pertinent ad eam multò amplius illis: nimirum de cujus utero tanquam è thalamo suo cœlestis sponsus processit.

Sed

Sed quem non moveat, quod in nuptijs illis respondit Dominus benignissimæ ac sanctissimæ matri suæ, dicens: *Quid mihi & tibi est mulier?* Quid tibi & illi, Domine? Nonne quod Filio & Matri? Quid ad illam pertinet quæris, cum tu sis benedictus fructus ventris ejus immaculati? Nonne ipsa est quæ salvo pudore concepit, & sine corruptione te peperit? Nonne ipsa est, in cujus utero novem mensibus moratus es: cujus virgineis uberibus lactatus es: cum qua jam duodecim annorum factus de Hierusalem descendisti, & eras subditus illis? Nunc ergo Domine quid molestus es illi dicens: *Quid mihi & tibi?* multum per omnem modum. Sed manifestè jam video, quod non velut indignans, aut confundere volens virginis matris teneram verecundiam, dixeris, *Quid mihi & tibi?* cum venientibus ad te (juxta matris præceptum) ministris, nihil cunctatus facias quod illa suggerit. Ad quid ergo fratres, ad quid sic respondebat priùs? utique propter nos, ut conversus ad Dominum jam non sollicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illæ non impediant exercitium spirituale. Quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus. At postquam reliquimus nosmetipfos, multò magis ab eorum sollicitudine liberi sumus. Unde & legimus fratrem quendam in eremo conversantem, cum ad eum carnalis frater auxiliij gratiâ adventasset, respondisse, ut adiret alterum fratrem eorum, cum ille utique jam obijisset. Cumque admiratus qui venerat responderet: quia ille obiit: eremita se quoque similiter obijisse respondit. Optimè ergo nos docuit Dominus, ne solliciti simus super propinquis carnis nostræ plus quàm religio postulet, quando ipsi Matri & tali Matri respondit, *Quid mihi & tibi est mulier?* Sic & in alio loco cum suggereret ei quidam quoniam foris staret cum fratribus Domini quærens ei loqui, respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Matth. 12. Ubi modò sunt, qui tam carnaliter,

& inaniter super carnalibus propinquis suis solent esse solliciti,
ac si adhuc viverent & ipsi cum eis?

EX SERMONE III.

In Purificatione beatæ MARIÆ.

S. primus & secundus.

Purificationem beatæ Virginis hodie celebramus, quæ secundum legem Moyfi facta est *Levit. 12.* transactis à Nativitate Domini quadraginta diebus. In lege enim scriptum erat, ut mulier quæ suscepto semine peperisset filium, immunda esset septem diebus, & octavo die circumcideretur puer: dehinc absolute & purificationi intenta, abstineret ab ingressu templi triginta tribus diebus, quibus expletis offerret filium Domino cum muneribus. Sed quis non advertat in ipso sententiæ hujus initio, liberam Matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim, quia dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super Matre Domini blasphemix crimen incurrere, & idcirco præmiserit suscepto semine? Alioquin nisi parituram prævidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentione? Patet itaque, quod Lex illa Matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine filium peperit, sicut prædictum erat per Hieremiam: *Quia novum faceret Dominus super terram. Quæris quod novum? Mulier, inquit, circumdabit virum Hier. 31.* Non ab altero viro virum suscipiet, non humana lege concipiet hominem: sed intravitæra intacta & integra virum claudet: ita sanè ut intrante & exeunte Domino, juxta alium Prophetam *Ezech. 44.* porta orientalis clausa jugiter perseveret.

Putas ergo, non poterat moveri animus ejus & dicere,
Quid mihi opus Purificatione? Cur abstineam ab ingressu templi.

pli, cujus uterus nesciens virum, templum factus est Spiritus sancti: Cur non ingrediar templum, quæ peperit Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirum cum proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum in ipso partu immaculato? Verè ô beata Virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed numquid filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum. Circumcidi voluit, & non multo magis velit offerri? Offer filium tuum Virgo sacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræsentâ. Offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam, Deo placentem. Omnino acceptabit Deus Pater oblationem novam, & pretiosissimam hostiam, de qua ipse ait: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, Matt. 3.* Sed oblatio ista, Fratres, satis delicata videtur, ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus, & illico reportatur. Veniet quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio, quia in redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum. Istud quidem jucundius, sed illud plenius. Istud enim tempore Nativitatis, illud jam in plenitudine ætatis: de utroque tamen potes accipere, quod Propheta prædixit: *Oblatus est, quia ipse voluit, Isai. 53.* Nam & modò oblati sunt, non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia voluit: & in cruce nihilominus oblati sunt, non quia meruit, non quia Judæus prævaluit, sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi Domine: quia voluntariè oblati es pro mea salute, non pro tua necessitate.

EX

EX SERMONE III.

In Festo Annuntiationis beatæ MARIÆ
Virginis. §. 8.

NE timeas MARIA invenisti enim gratiam apud Dominum
Luc. 1. Quantam gratiam? Gratiam plenam, gratiam sin-
gularem. Singularem an generalem? Utramque sine dubio,
quia plenam, & eo singularem quo generalem: ipsa enim gene-
ralem singulariter accepisti. Eo inquam singularem, quo gene-
ralem: nam sola præ omnibus gratiam invenisti. Singularem,
quòd sola hanc inveneris plenitudinem. Generalem, quòd de
ipsa plenitudine accipiant universi. *Benedicta tu in mulieribus, &
benedictus fructus ventris tui.* Singulariter quidem fructus ven-
tris tui est, sed ad omnium quidem mentes te mediante perve-
nit. Sic nimirum, sic olim ros totus in vellere, totus in area, sed in
nulla parte areæ totus, sicut in vellere fuit. In te sola Rex ille di-
ves & præditus, exinanitus, excelsus, humiliatus, immensus, ab-
breviatus, & ab Angelis minoratus est: verus denique Deus &
Dei filius incarnatus. Sed quo fructu? Nempe ut omnes ejus
paupertate locupletemur; ejus humilitate sublevemur; ejus mi-
noratione magnificemur; ejus incarnatione adhærentes Deo
incipiamus unus esse Spiritus cum eo.

EX SERMONE II.

In Festo PENTECOSTES,

§. 3. & 4.

Missus est coluber tortuosus à diabolo, ut venenum per au-
res mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refun-
deret in totius posteritatis originem. Missus est interim Gabriel
Angelus

Angelus à Deo, ut verbum Patris per aurem Virginis in ventrem, & mentem ipsius eructaret, ut eadem via intraret & antidotum, quâ venenum intraverat. Verè vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti à Patre: quia totum paternum est, quod de corde Patris attulit nobis, ut nihil in filio Dei nisi dulce, nisi paternum, humani generis trepidatio suspicetur. A planta pedis usque ad verticem non erat in nobis sanitas: erraveramus ab utero: in utero damnati antequam nati: quia de peccato & in peccato concepti.

Christus ergo ibi primùm medicinam apposuit, ubi primus vulnere patebat locus: & substantialiter utero virginis illapsus, de Spiritu sancto conceptus est: ut conceptionem nostram mundaret, quam spiritus malus, si non fecerat, saltem infecerat: ut non esset etiam in utero vita ipsius otiosa, dum novem mensibus purgat vulnus antiquum, scrutans, ut dicitur, usque ad imum putredinem virulentam, ut sanitas sempiterna succederet. Et nunc jam operabatur salutem nostram in medio terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi, qui sunt in cælo, ut refarciantur, & qui in inferno, ut eripiantur: qui præcesserunt, ut Prophetæ tui fideles inveniantur: qui sequuntur, ut glorificètur. Eò beatam te dicunt omnes generationes Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cæli. *Omnes, inquam, generationes, Luc. 1.* Sunt enim generationes cæli, & terræ. *Pater spirituum, ait Apostolus, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur, Eph. 3.* Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti. In te enim An-

gelli latitiam, iusti gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis, quicquid creaverat, recreavit.

SERMO I.

In Assumptione beatæ MARIÆ.

Virgo hodie gloriosa cœlos ascendens, supernorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis. Hæc est enim, cujus salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt, *Luc. 1.* Quòd si parvuli necdum nati anima liquefacta est: ut Maria locuta est: quid putamus quænam illa fuerit cœlestium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beatâ ejus frui præsentiam meruerunt? Nobis verò charissimi, quæ in ejus assumptione solennitatis occasio, quæ causa lætitiæ, quæ materia gaudiorum? Mariæ præsentiam totus illustratur orbis, adeò ut & ipsa jam cœlestis patria clariùs rutilet virginæ lampadis irradiata fulgore. Meritò proinde resonat in excelsis gratiarum actio & vox laudis, sed plangendum nobis, quàm plaudendum magis esse videtur. Quantum enim de ejus præsentia cœlum exultat, nunquid non consequens est, ut tantum luceat hic noster inferior mundus ejus absentiam? Cesset tamen querela nostra, quia nec nobis hîc est manens civitas; sed eam inquirimus ad quam hodie Maria benedicta pervenit. In quam si conscripti cives sumus, dignum profectò est etiam in exilio, etiam super flumina Babylonis ejus nos recordari, ejus communicare gaudijs, ejus participare lætitiâ, maximeque eam, quæ tam copioso impetu lætificat hodie civitatem Dei: ut sentiamus & ipsi stillicidia stillantia super terram. Præcessit nos Regina nostra, præcessit, & tam gloriose su-

se suscepta est, ut fiducialiter sequantur Dominam servuli clamantes, trahe nos post te; in odore unguentorum tuorum curremus. Advocatam præmisit peregrinatio nostra: quæ tanquam iudicis mater, & mater misericordiæ, suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.

Pretiosum hodie munus terra nostra direxit in cœlum, ut dando & accipiendo felici amicitiarum fœdere copulentur humana divinis, terrena cœlestibus, ima summis. Illò enim ascendit fructus terræ sublimis, unde data optima, & dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum Virgo beata, dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est. Denique mater est unigeniti Filij Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus, seu pietatis magnitudinem commendare: nisi fortè aut non creditur Dei Filius honorare Matrem: aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit.

Et hæc quidem propter nos dixerim, Fratres, sciens difficile esse, ut in tanta inopia charitas illa perfecta non quærens quæ sua sunt, valeat inveniri. Ut tamen interim sileam beneficia, quæ pro illius glorificatione consequimur; si eam diligimus, gaudebimus utique, quia vadit ad Filium. Planè, inquam, congratulabimur ei, nisi fortè (quod absit) inventrici gratiæ omnimodis inveniamur ingrati. Quem enim in castellum mundi hujus intrantem priùs ipsa susceperat; ab eo suscipitur hodie, sanctam ingrediens civitatem. Sed cum quâto putas honore, cum quanta putas exultatione, cum quanta gloria? Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in cœlis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ Filius sublimavit. Felix nimirum utraq; susceptio: ineffabilis utraque, quia

utraq; inexcogitabilis est. Ut quid enim ea hodie in Ecclesijs Christi evangelica lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepisse intelligitur Salvatorem? Credo ut hæc, quam celebramus, ex illa susceptione aliquatenus aestimetur, imò ut juxta illius inæstimabilem gloriam inæstimabilis cognoscatur & ista. Quis enim etiam si linguis hominũ Angelorumq; loquatur, explicare queat, quemadmodum superveniente Spiritu, obumbrante virtute Altissimi caro factum sit verbum Dei, per quod facta sunt omnia, & Dominus majestatis, quem non capit universitas creaturæ, intra virginea sese clausit viscera factus homo?

Sed & illud quis cogitare sufficiat, quàm gloriosè hodie mundi Regina processerit, & quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta, quàm placido vultu, quàm serenâ facie, quàm divinis amplexibus suscepta à Filio, & super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium? Felicitia prorsus oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo Mater applaudebat in gremio. Verùm nunquid non feliciora certes habemus, quæ ab ore sedentis in dextera Patris hodie in beata salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens & dicens: *Osculetur me osculo oris sui?* Christi generationem, & Mariæ assumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis. Quòd si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se: quòd præparavit gignenti se, & (quod omnibus est certum) diligenti præ omnibus, quis loquatur? Felix planè Maria, & multipliciter felix, sive cum excipit Salvatorem, sive cum à Salvatore suscipitur. utrobique mira dignitas Virginis

Virginis Matris : utrobique amplectenda dignatio majestatis. *Intravit, inquit Luc. 10. Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam excepit illum in domum suam.* Sed laudibus magis vacandum est, quòd festivis præconiis hæc dies debeatur. Quia verò copiosam nobis materiam lectionis hujus verba ministrant; cras quoque convenientibus nobis in unum communicandum erit sine invidia, quòd fuerit desuper datum, ut in memoria tantæ Virginis non modò affectus devotionis excitetur, sed & mores ædificentur ad profectum conversationis, in laudem & gloriam Filij ejus Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.

EX SERMONE II.

In Festo Assumptionis beatæ MARIÆ,

§. 2. 8. & 9.

Sed quid introisse eum dicimus in castellum? Etiam in angustissimum virginalis uteri diversorium introivit. Denique & mulier quædam excepit illum in domum suam. Felix mulier, quæ non exploratores Hierico, sed potiùs fortissimum illum exploratorem stulti illius, qui verè ut luna mutatur, non legatos Iesu filij Nave, sed ipsum magis suscipere meruit verum IESUM Filium Dei. Felix inquam mulier, cujus domus Salvatori suscepto, inventa est munda quidem: sed planè non vacua. Quis enim vacuam dixerit, quam salutat Angelus gratiâ plenam: Neque hoc solùm: sed adhuc quoque in eam superventurum asserit Spiritum sanctum. Ad quid putas, nisi ut etiam superimpleat eam? Ad quid nisi ut adveniente jam Spiritu plena, sibi eodem superveniente, nobis quoque superplena & superfluens fiat? Utinam fluant in nos aromata illa, charismata scilicet gratiarum: ut de plenitudine tanta omnes accipiamus. Ipsa nempe

mediatrix nostra, ipsa est, per quam suscepimus misericordiam tuam Deus, ipsa est, per quam & nos Dominum IESUM in domos nostras excipimus. Et nobis enim singulis, castra sunt singula, & singula domus: & sapientia pullat ad ostia singulorum. Si quis ei aperuerit introibit & cœnabitque cum eo.

Sed fortè curiosius quisquam requirat, cur in præsentī Evangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat. Arbitror sanè ne id quidem à proposita similitudine dissidere. Virginalē etenim domum intelligi volens Spiritus filius non incongruè pœnitentiā, quæ malum utique comitatur. Absit enim, ut proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Quòd si originalem à parentibus maculam traxit, sed minus à Hieremia sanctificatam in utero, aut non magis à Ioanne Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas christiana. Hæc enim festis laudibus nascens honoratur. Postremò cùm omnimodo constet ab originali contagio solâ gratiâ mundatam esse Mariam: quippe cùm & nunc in baptisate sola hanc maculam lavet gratia, & sola eam raserit olim petra circumcisionis: ut omnino pium est credere, proprium Maria delictum non habuit: nihilominus ab innocentissimo corde etiam pœnitentiā longè fuit. Sit ergo Lazarus apud eos, quorum necesse est ab operibus mortuis conscientias emundari: secedat inter vulneratos dormientes in sepulchris, ut in thalamo virginali inveniatur Martha & Maria tantùm. Ipsa est enim, quæ Elisabeth gravidæ & grandævæ quasi mensibus tribus humili deservivit officio, ipsa verba omnia quæ de filio dicebantur, conservabat, conferens in corde suo.

Neminem ergo moveat, quod suscipiens mulier Dominum non Maria, sed Martha vocatur: quando in hac una & summa Maria, & Marthæ negotium, & Mariæ non otiosum otium invenitur. Omnis quidem gloria filiæ Regis abintus, nihilomi-

hilominus tamen in fimbrijs aureis circumamicta est varietate. Non est de numero fatuarum virginum prudens virgo. Lampadem habet, sed in vase oleum portat. An fortè excidit vobis Evangelica illa parabola, quæ fatuas virgines prohibitas narrat ab introitu nuptiarum? Erat equidem domus earum munda, virgines enim erant. Erat ornata, quia simul omnes, id est fatuæ cum prudentibus lampades ornaverunt: sed erat vacans, quia in vasis suis oleum non acceperunt. Hinc est, quod nec ab eis suscipi in domos suas, nec admittere dignatur sponsus cælestis ad nuptias. Non sic mulier illa fortis, quæ serpentis caput contrivit. Habes enim post multa in laudibus ejus, *quia non extinguetur in nocte lucerna ipsius, Prov. 31.* In sigillatione hoc dicitur fatuarum, quæ veniente mediâ nocte sponso, conqueruntur sero & dicunt: *Quia lampades nostræ extinguuntur Matt. 25.* Processit igitur gloriosa virgo, cujus lampas ardentissima ipsis quoq; Angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent: *Cant. 6. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* Clarius enim cæteris rutilabat, quam replevit oleo gratiæ præ participibus suis Iesus Christus filius ejus Dominus noster.

EX SERMONE IV.

In Festo Assumptionis beatæ MARIE Virginis,
S. I. 5. 6. 7. 8. & 9.

TEmpus loquendi est omni carni, cùm assumitur incarnati verbi Mater in cælum; nec cessare debet à laudibus humana mortalitas; cùm hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in virgine. Sed de ejus gloria nec filere devotio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut in-erudita potest locutio parturire. Hinc est, quod & ipsi cælestis curiæ principes in consideratione tantæ novitatis clamant non
sine

sine admiratione, *Cant. 8. Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitijs affluens?* Ac si manifestius dicant: Quanta est hæc, & unde ei ascendenti utique de deserto affluentia tanta deliciarum? Nec enim pares inveniuntur delitiæ vel in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, quo à vultu gloriæ voluptatis gloriâ potamur. Quæ est ista, quæ de sub sole (ubi nihil est nisi labor & dolor & afflictio spiritus) ascendit delitijs spiritualibus affluens? Quidni delicias dixerim virginitatis decus cum munere fecunditatis, humilitatis insigne, distillantem charitatis favum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ singularis? Ascendens igitur de deserto Regina mundi etiam Angelis sanctis, ut canit Ecclesia, speciosa facta est & suavis in delitijs suis. Desinant tamen deserti hujus mirari delicias, quia Dominus dedit benignitatem & terra nostra dedit fructum suum. Quid mirantur de terra deserta Mariam ascendere delitijs affluentem? Mirentur potiùs pauperem Christum de cœlestis regni plenitudine descendentem. Longè enim ampliori miraculo dignum videtur, Dei filium paulò minùs ab Angelis minorari, quàm Dei matrem super Angelos exaltari.

Non est equidem quòd me magis delectet, sed nec est quòd terreat magis, quàm de gloria Virginis Mariæ habere sermonem. Ut enim sileam interim ineffabile privilegium meritò, & prærogativam penitùs singularem, tanto eam devotionis affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt (ut dignum est) universi, ut licet de ea loqui gestiant omnes: tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso, quo dici potuerit, minùs gratum sit, minùs placeat, minùs acceptetur.

Quidni minùs sapiat, quidquid de incomprehensibili gloria comprehendere potuerit mens humana? Ecce enim, si in ea laudavero *virginitatem*, mihi multæ virgines post eam videntur offerri. Si *humilitatem* prædicavero, invenientur tortè vel pauci

pauci (docente Filio ejus Matt. II.) *mites facti sunt, & humiles corde.* Si magnificare voluero *miseri cordie* ejus multitudinem, sunt aliqui *miseri cordie* viri, etiam & mulieres. Unum est, in quo

*Nec primam similem visa est nec habere sequentem,
Gaudia Matris habens cum virginitatis honore.*

Optimam partem elegit sibi Maria. Optimam planè: quia bona *fœcunditas* conjugalis, melior autem castitas virginalis: prorsùs autem optima est *fœcunditas* virginea, seu *fœcunda* virginitas. Mariæ privilegium est, non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea. Singulare est: sed continuò etiam indicibilè invenitur, ut nemo assequi possit, sic nec eloqui quidem. Quid si & illud adjicias, *cujus mater?* Quæ jam poterit lingua, etiam si Angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem; Matrem autem non *cujuscumque*, sed Dei? Duplex *prærogativa*: duplex miraculum, sed dignè prorsùs aptissimeque conveniens. Neque enim Filius alius Virginem: nec Deum decuit partus alter.

Veruntamen non hoc tantùm, si diligenter attendas, sed cæteras quoque virtutes singulares prorsùs invenies in Maria, quæ videbantur esse communes. Quæ enim vel Angelica *puritas* virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus sancti *sacrarium* fieri, & habitaculum Filij Dei? Si rerum *pretia* de raritate pensamus, quæ prima in terris Angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est: *Quomodo*, inquit Luc. I, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Immobile propositum virginitatis, quod nec Angelo Filium promittente aliquatenus titubavit. *Quomodo*, inquit, *fiet istud?* Neque enim eo modo, quo fieri solet in cæteris. Virum penitus non cognosco, nec filij desiderio, nec spe prolis.

Quanta verò, & quàm pretiosa *humilitatis* virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conscientia prorsùs
K absque

absque delicto, immò cum tantæ gratiæ plenitudine? Unde tibi humilitas, & tanta humilitas ô beata? Digna planè quam respiceret Dominus, cujus decorem concupisceret rex, cujus odore suavissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu. Vide enim quàm manifestè sibi concinant Virginis nostræ canticum, & nuptiale carmen: nimirum cujus uterus, sponsi thalamus fuit. Audi Mariam in Evangelio. *Respexit*, inquit, *humilitatem ancille suæ*. Audi eandem in Epithalamio: *Cum esset rex*, inquit Cant. 1, *in accubitu suo: nardus mea dedit odorem suum*. Nardus quippe herba humilis est, & pectus purgat, ut manifestum sit humilitatem nardi nomine designari, cujus odor & decore invenerit gratiam apud Deum.

Sileat *miseri cordiam* tuam Virgo beata, si quis est, qui invocantem te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potiùs nobis ipsis. Laudamus Virginitatem; Humilitatem miramur; sed Misericordia miseris sapit dulcius; misericordiam amplectimur chariùs; recordamur sapiùs; crebriùs invocamus. Hæc est enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est: Luc. 1, *Netimeas Maria: invenisti gratiam*. utique quam quærebas. Quis ergo misericordiæ tuæ ô benedicta, longitudinem, & latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum: ut tuâ quoque misericordiâ plena sit omnis terra. Sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restorationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris & in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum: infernus evacuatus est: instauratæ ruinæ cœlestis Hierusalem: expectantibus miseris

feris vita perdita data. Sic potentissima & piissima charitas & effectu compatiendi & subveniendi abundat affectu, æquè lo- cuples in utroque.

Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra. Ad hunc misericordiæ cumulum totâ sollicitudine miseria nostra recurrat. Ecce jam quibus potuimus votis ascendentem te ad Filium deduximus, & profecuti sumus saltem à longè Virgo benedicta. Sit pietatis tuæ ipsam, quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo; reis veniam: medelam ægris: pusillis corde robur: afflictis consolationem: periclitantibus ad- jutorium: & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hoc quoque die solemnitatis & lætitiæ dulcissimum Mariæ no- men invocantibus servulis, per te Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur Iesus Christus Filius tuus Dominus noster: qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.

SERMO I.

DE VIRGINE DEIPARA,

Ex verbis Apocalipsis 12.

Signum magnum aparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.

VEhementer quidem nobis dilectissimi, vir unus, & mu- lier una nocuere, sed gratias Deo: per unum nihilomi- nus virum, & mulierem unam omnia restaurantur; nec sine ma- gno scœnore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ira & do- num, sed excedit damni æstimationem beneficij magnitudo. Sic nimirum prudentissimus & clementissimus artifex, quod quassatum fuerat, non confregit, sed utiliùs omninò refecit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, & Evam transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus; si-

K 2

quidem

quidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est : sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis planè & potens mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, sed divinam in eo reverentur homines majestatem. Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quòd mutata sit substantia, sed affectio deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & iudicium : quia et si didicit ex his quæ passus est compassionem, ut misericors fieret, habet tamen & iudicariam potestatem. Denique Deus noster ignis consumens est Deut. 4. & Hebr. 12. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei?

Jam itaque ne ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa : invenitur equidem locus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quàm Maria. Crudelis nimirum Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit : sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum & viris & mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis : illa suggestit prævaricationem, hæc injecit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offerens lac & lanam. Revolve diligentius evangelicæ historiæ seriem universam, & si quid fortè increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Quod si (ut verè sunt) plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis & misericordiæ, quæ ad eam pertinent inveneris, age gratias ei, qui talem tibi mediaticem benignissimâ miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus
omnia

omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiâ, denique tota Trinitas gloriam, Filij persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus.

Putasne ipsa est *Sole amicta mulier*? Esto siquidem ut de præsentî Ecclesia intelligendum Propheticæ visionis series ipse demonstraret, sed id planè non inconvenienter Mariæ videtur attribuendum. Nimirum ea est, quæ velut alterum Solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita: sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Nam & defectus omnis sub ea, & quicquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissimâ quadam sublimitate præcæteris omnibus excedit & supergreditur creaturis, ut meritò *sub pedibus ejus luna esse* dicatur. Alioquin nihil magnum dixisse videbitur, ut sit luna ista sub pedibus ejus, quàm super omnes Angelorum choros super Cherubim quoque & Seraphim exaltatam nefas est dubitare. Solet autem *Luna* non modo defectum corruptionis, sed & stultitiâ mentis, nonnunquam verò & Ecclesiam hujus temporis designare. Illam quidem propter mutabilitatem, hanc sanè propter susceptum aliunde splendorem. Utraque verò (ut ita dixerim) Luna sub Mariæ pedibus congruè satis ponitur, alio tamen atque alio modo. Siquidem *stultus ut luna mutatur: sapiens autem permanet ut sol*, Eccli. 27. In sole nimirum & fervor & splendor stabilis; in luna solus splendor, atque is omninò mutabilis & incertus, qui nunquam in eodem statu permaneat. Jure ergo Maria *Sole* perhibetur *amicta*,

quæ profundissimam divinæ sapientiæ ultra quàm credi valeat, penetravit abyssum: ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immerfa. Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur *Isa. 6.* illo igne Seraphim accenduntur. Longè verò aliter Maria meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis undique, & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sanè, sed & calidissimus hujus mulieris amictus: cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea non dico tenebrosum, sed obscurum saltem vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum, liceat suspicari.

Insipientia verò omnis longè sub pedibus ejus est, ut penitus absit hæc ab insipientium mulierum numero, & collegio virginum fatuarum. Immò verò & unicus ille stultus, & totius stultitiæ princeps, qui verè mutatus ut luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus & contritus miseram patitur servitutem. Nimirum ipsa est quondam à Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura *Gen. 3.* cujus planè calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa: sola enim contrivit universam hæreticam pravitatem. *Alius* non de substantia carnis suæ Christum edidisse dogmatizabat; *Alius* parvulum non peperisse, sed reperisse sibilabat; *Alius* (vel post partum) viro cognitam blasphemabat; *Alius* Dei Matrem audire non sustinens, magnum illud nomen *Theotocos* impiissimè suggillabat: sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confurati derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes. Denique & continuò per Herodem draco insidiatus est parienti, ut nascentem excipiens filium devoraret, quòd inimicitia essent inter semen mulieris & draconis.

Jam si Ecclesia lunæ magis intelligenda videtur vocabulo, quòd

quòd videlicet non ex se splēdeat, sed ab eo, qui dicit Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*: habes mediatricem, quam tibi paulò ante commendavimus, evidenter expressam. *Mulier*, inquit Apoc. 12. *amicta sole, & luna sub pedibus ejus*. Amplectamur Mariæ vestigia, Fratres mei, & devotissimâ supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis. Potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem & aream, mulier inter solem & lunam, Maria inter Christum & Ecclesiam constituta. Sed fortè miraris non tam vellus opertum rore, quàm amictam sole mulierem. Magna siquidem familiaritas, sed mira omninò vicinitas solis & mulieris. Quomodo enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura subsistit? Meritò quidem admiraris Moyses sancte, & curiosiùs desideras intueri. Veruntamen solve calceamenta de pedibus tuis, & involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis. *Vado*, inquit, *& videbo visionem hanc magnam Exod. 3*. Magna planè visio rubus ardens sine combustione, magnum signum mulier illæsa manens amicta sole. Non est rubi natura, opertum undique flammis, manere nihilominus incombustum: non mulieris potentia, ut sustineat solis amictum. Non est virtutis humanæ, sed nec Angelicæ quidem, sublimior quædam necessaria est. *Spiritus sanctus*, inquit Luc. 1. *superveniet in te*. Et tanquam respondeat illa quoniam Spiritus est Deus, & Deus noster ignis consumens est. *Virtus*, ait, non mea, non tua, *sed Altissimi obumbrabit tibi*. Nihil itaque mirum, si sub tali obumbraculo talis etiam à muliere sustineatur amictus.

Mulier, inquit, *amicta sole*: planè amicta lumine tanquam vestimento. Non percipit fortè carnalis, nimirum spirituale est, stultitia illi videretur. Non sic videbatur Apostolo, qui dicebat Rom. 13. *Induimini Dominum Iesum Christum*. Quàm familiaris
ei facta

ei facta es Domina, quàm proxima, imò quàm intima fieri meruisti, quantam invenisti gratiam apud Deum? In te manet, & tu in eo: & vestis eum, & vestiris ab eo. Vestis eum substantiâ carnis, & vestit ille te gloriâ suæ majestatis. Vestis solem nube, & sole ipsa vestiris. Novum enim fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret virum *Hier. 31. nec alium, quàm Christum, de quo dicitur Zach. 6. Ecce vir Oriens nomen ejus.* Novum quoque fecit in cœlo ut mulier sole appareret amicta. Denique & coronavit eum, & vicissim ab eo meruit coronari. Egredimini filie Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua, *Cant. 3.* Verùm hoc alias. Interim sanè ingredimini magis, & videte reginam in diademate quo coronavit eam Filius suus.

In capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim, Apoc. 12. Dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clariùs micans, ornet eas potiùs quàm ornetur ab eis. Quidni coronent sidera quam sol vestit? Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lillia convallium. Nimirum læva sponsi sub capite ejus, & jam dextera illius amplectatur eam. Quis illas æstimet gemmas? Quis stellas nominet quibus Mariæ regium diadema compactum est? Supra hominem est coronæ hujus rationem exponere, indicare compositionem. Nos tamen pro modulo nostræ exiguitatis abstinentes à periculoso scrutinio secretorum, non incongruè forsitan duodecim stellas istas, duodecim prærogativas gratiarum intelligere videamur, quibus Maria singulariter adornatur. Siquidem invenire est in Maria prærogativas cœli, prærogativas carnis, prærogativas cordis, etsi fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus: habemus fortè stellas duodecim, quibus Reginæ nostræ diadema præfulgeat universis. Mihi sanè singularis rutilat fulgor: *primò* quidem in Mariæ generatione: *secundò* in Angelica

gelica visitatione: *tertio* in Spiritus superventione: *quarto* in Filij Dei inenarrabili conceptione. Sic & in his quoque sidereum planè irradiat decus quòd *virginitatis primiceria*, quòd sine *corruptione fecunda*, quòd sine *gravamine gravida*, quòd sine *dolore puerpera*. Nihilominus etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant *mansuetudo pudoris*, *devotio humilitatis*, *magnanimitas credulitatis*, *martyrium cordis*. Vestrae quidem sedulitatis erit singula quæque diligentius intueri. Nos interim satisfecisse videbimur, si breviter ea potuerimus demonstrare.

Quod ergo sidereum micat in generatione Mariæ: Planè quòd ex regibus orta, quòd ex semine Abrahæ, quòd generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde quod generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis divinitus noscitur esse concessa; quòd longè ante eisdem Patribus cœlitus repromissa; quòd mysticis præfigurata miraculis; quòd oraculis prænuntiata prophetis. Hanc enim sacerdotalis virga, dum sine radice floruit *Num. 17.* hanc Gedeonis vellus, dum in medio sicca areæ maduit *Jud. 6.* hanc in Ezechielis visione Orientalis porta, quæ nulli unquam patuit, præsignabat *Ezech. 19.* Hanc denique præ cæteris Isaias nunc virgam de radice Jesse orituram promittebat, nunc evidentius virginem parituram *Esa. 11.* Meritò signum hoc magnum in cœlo apparuisse scribitur, quod tantò antè de cœlo noscitur fuisse promissum. Dominus ait *Esa. 7. Ipse dabit vobis signum. Ecce virgo concipiet.* Magnum profectò signum dedit: quia & magnus ipse qui dedit. Hujus ergo prærogativæ fulgor, quorum non vehementer reverberat aciem oculorum? Jam in eo quod tam reverenter atque officiosissimè ab Archangelo salutata est, ut jam in regali folio supra omnes cœlestium ordines regionum exaltatam cernere videretur, & paulò minus adoraturus fœminam, qui solebat ab hominibus ha-

ctenus æquanimiter adorari, excellentissimum nobis Virginis nostræ meritum, & singularis gratia commendatur.

Nihilominus fulget etiam novus ille conceptionis modus, ut non in iniquitate, quemadmodum ceteræ omnes; sed superveniente Spiritu sancto sola, & de sola sanctificatione Maria conciperet. Nam quòd verum Deum, & Dei Filium genuit, ut idem ipse Dei atque hominis filius unus omnino Deus & homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis: nec facile dixerim, quòd vel angelicus oculus ad hujus fulgoris vehementiam non caliget. De cetero sanè & virginitatem carnis, & propositum virginitatis, & ipsius quoque propositi novitas evidenter illustrat: quòd videlicet in libertate spiritus Legis Mosaicæ decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul & Spiritus sancti testimoniam vovit. Probat enim propositi inviolabile fundamentum, quòd tam constanter promittenti filium Angelo respondit Luc. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Fortè enim propterea primò turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio, quæ benedictam sese audisset in mulieribus, quæ nimirum benedici in virginibus semper oprabat. Et ex tunc quidem cogitabat qualis esset ista benedictio, quæ jam videretur esse suspecta. Ubi verò in promissione filij manifestum virginitatis periculum videbatur, non potuit ultrà dissimulare quin diceret: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Meritò proinde & illam meruit benedictionem, & hanc non amisit: ut longè gloriosior fiat, & virginitas ex fecunditate, & ex virginitate fecunditas, ac mutuis sese radijs illustrare hæc duo sidera videantur. Magnum enim virginem esse, sed virginem matrem esse, longè ampliùs per omnem modum. Jure etiam illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes gravidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde & in ipso sue conce-

conce-

conceptionis initio, quando potissimum cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria totâ alacritate montana conscendit, ut Elisabeth ministraret. Sed ascendit Bethlehem imminente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans à quo portabatur. Sic & in partu quàm lucidum est, quæ novâ exultatione novam edidit prolem, sola inter mulieres à communi maledicto & dolore parturientium aliena? Si rerum pretia de raritate pensamus, nihil his potest inveniri. Siquidem in omnibus istis, nec primam similem visa est, nec habere sequentem. E quibus nos, si ea fideliter intuemur, sine dubio admirationem concipimus, sed venerationem, sed devotionem, sed consolationem.

Cæterùm quæ restant adhuc, & imitationem requirunt. Non est nobis ante ortum tam multifariè multisque modis promitti divinitus, cœlitus prænunciari: sed nec ab Archangelo Gabriele tam novæ salutationis obsequijs honorari. Minus autem cætera duo communicat nobis, planè secretum suum sibi. Sola enim est de qua dicitur Mat. i. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, sola cui dicitur Luc. i. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*. Offerantur Regi virgines, sed post eam: nam primatum sola vendicat sibi. Multò magis autem sola sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit. Itaque nihil horum à nobis exigitur, sed exigitur planè nonnihil. Nunquid enim si defuerit nobis etiam mansuetudo pudoris, si humilitas cordis, si magnanimitas fidei, si compassio mentis: negligentiam nostram munerum singularitas excusabit? Gratissima sanè gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecūdi. Anverò quis putat quòd hac caruerit gratiâ, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit Maria: Ex Evangelio id probamus. Ubi enim aliquândo loquax, ubi præsumptuosa fuisse videtur? Foris stabat Matt. 12. quærens loqui

Filio, nec maternâ auctoritate, aut sermone interruptit, aut in habitationem irruit in qua Filius loquebatur. In omni denique textu quatuor Evangeliorum (si benè meminimus) non nisi quater Maria loquens auditur. *Primò* quidem ad Angelum, sed cùm jam semel atque iterum allocutus eam fuisset *Luc. 1.* *Secundò* ad Elisabeth, quando vox salutationis ejus Ioannem exultare fecit in utero; & eâ magnificante Mariam, ipsa magis Dominum magnificare curavit *Luc. 2.* *Tertio* ad Filium, cùm jam esset annorum duodecim, quòd ipsa & Pater ejus dolentes quaesissent eum *Luc. 2.* *Quartò* in nuptiis ad Filium & ministros *Ioan. 2.* Et is quidem sermo certissimus index ingenitæ mansuetudinis, & virginalis verecundiæ fuit. Aliorum quippe verecundiam suam reputans, sustinere non potuit, non potuit vini dissimulare defectum. Ubi sanè increpata est à Filio (tanquam mitis & humilis corde) nec illi respondit, nec tamen desperavit, ministros admonens facere quod diceret eis.

Nunquid non ab initio venisse pastores, & primam omnium Mariam invenisse leguntur? *Invenerunt*, ait Evangelista *Luc. 2.* *Mariam & Ioseph, & infantem positum in praesepio.* Sic & Magi quoque, si recolis *Matt. 2.* non sine Maria matre ejus puerum invenerunt. & inducens in templum Domini, templi Dominum, multa quidem à Simeone audivit tam de Deo quàm de se ipsa *Luc. 2.* ad loquendum tarda, velox ad audiendum. Et quidem *Maria conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo Luc. 2.* sed in his omnibus neque de ipso incarnationis dominicæ sacramento quodcunque verbum fecisse reperies. *Ve* nobis qui spiritum habemus in naribus. *Ve* qui totum proferimus spiritum, qui juxta illud Comici *Terent. in Eunuchis*, pleni rimarum effluimus undique. Totiens denique Maria Filium audivit, non modò turbis loquentem in parabolis: sed & Discipulis seorsum regni Dei mysteria revelantem, vidit miracula facientem:

tem: vidit deinde in cruce pendentem, vidit expirantem, vidit resurgentem, vidit & ascendentem: sed in his omnibus quotiens verecundissimæ Virginis, quotiens pudicissimæ turturis vox memoratur audita? Denique legis in Actibus Apostolorum, quod redeuntes à monte Oliveti unanimiter perseverabant in oratione *Actor. 1.* Qui? Si fortè Maria adfuit, nominetur prima, quæ super omnes est, tam Filij prærogativâ, quàm suæ privilegio sanctitatis. *Petrus & Andreas*, ait, *Jacobus & Ioannes*, & cæteri qui sequuntur: *hi omnes per se verabant unanimiter cum mulieribus & Maria matre Iesu.* Itane & mulierum sese ultimam exhibebat, ut novissima omnium poneretur? Verè carnales adhuc discipuli, quibus necdum spiritus erat datus, quia Iesus necdum fuerat glorificatus, quando facta est inter illos contentio de primatu: cùm Maria quantò major erat, humiliaret se non modò de omnibus, sed & præ omnibus. Meritò facta est novissima prima, quæ cùm prima esset omnium, sese novissimam faciebat. Meritò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Meritò denique super Angelos exaltata est, quæ & infra viduas & pœnitentes, infra eam, de qua ejecta fuerant septem dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat. Obsecro vos filioli, æmulamini hanc virtutem, si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus; nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum christiano, maximeque monachum nihil adeò decet.

Et quidem manifesta satis in virgine ex hac ipsa mansuetudine virtus humilitatis elucet. Nimirum collactaneæ sunt humilitas & mansuetudo, in eo confœderatæ germanius qui dicebat *Matt. 11.* *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Sicut enim mater præsumptionis elatio, sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate procedit. Nec in sola tantùm Mariæ taciturnitate commendatur humilitas, sed evidentius resonat

in sermone. Audierat Luc. I: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et nihil aliud, quam ancillam ejus se esse respondit. Inde ventum est ad Elifabeth, & continuo virginis gloria singularis eidem per spiritum revelatur. Denique & mirabatur personam venientis, dicens: *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me.* Commendabat & vocem salutantis adjiciens. *Ut facta est vox salutationis tue in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo: & beatificat fidem credentis: Beata (inquiens) que credidisti, quoniam perficientur in te que dicta sunt tibi à Domino.* Magna quidem præconia, sed & devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit cujus in se beneficia laudabantur. Tu (inquit) magnificas Matrem Domini, sed *magnificat anima mea Dominum, Luc. I.* In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio: sed *exultavit spiritus meus in Deo salutari meo:* & ipse quoque tanquam amicus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse dicis quæ credidisset: sed credulitatis & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis *beatam me dicant omnes generationes,* quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus.

Veruntamen nunquid putamus fratres, Elifabeth sanctam, in eo quod per spiritum utique loquebatur, errasse? Absit. Beata planè quam respexit Deus, & beata quæ credidit. Hic enim magnus divinæ respectiois exitit fructus. Ineffabili siquidem artificio Spiritus, superveniens tantæ humilitati magnanimitas tanta in secretario virginei cordis accessit, ut (quemadmodum de integritate & fœcunditate prædiximus) hæc quoque nihilominus sint stellæ ex respectu mutuo clariores, quòd videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem, sed cum in suæ æstimatione tam humilis esset, nihilominus & in promissionis credulitate magnanimis; ut quæ nihil aliud quam exiguam sese reputabat ancillam, ad
incom-

Incomprehensibile hoc mysterium, & admirabile commercium, ad inscrutabile sacramentum nullatenus se dubitaret electam, & veram Dei & hominis genitricem crederet mox futuram. Agit hoc nimirum in cordibus electorum gratiæ prærogativa divinæ, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes, magis autem cooperentur sibi, ut non solum nulla ex magnanimitate subintret elatio, sed hinc maxime provehatur humilitas, ut inveniantur eò amplius timorati, & largitori munerum non ingrati, ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla subrepat; sed quo minus de sua quisque vel in minimis præsumere consuevit, eò amplius etiam in magnis quibusque de divina virtute confidat.

Martyrium sanè Virginis (quam nimirum inter stellas diadematis ejus, si meministis, duodecimam nominavimus) tam in Simeonis prephetia, quàm in ipsa dominicæ passionis historia commendatur. *Positus est hic* (ait sanctus Senex de parvulo Iesu) *in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam* (ad Mariam autem dicebat) *pertransibit gladius Luc. 2.* Verè tuam, ô beata Mater, animam gladius pertransivit. Alioquin non nisi eam pertransiens, carnem Filij tui penetraret. Et quidem postea quàm emisit spiritum tuum ille Iesus (omnium quidem, sed specialiter tuus), ipsius planè non attingit animam crudelis lancea quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plus quàm martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excefferit compassionis affectus.

An non tibi plus quàm gladius fuit sermo ille (revera pertransiens animam, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus) *Mulier, ecce filius tuus Ioan. 19.* O commutationem. Joannes

nes tibi pro Iesu traditur; servus pro Domino; discipulus pro magistro; filius Zebedæi pro filio Dei; homo purus pro vero Deo. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertranfaret hæc auditio, quando & nostra licet saxea, licet ferrea peccata sola recordatio scindit? Non miremini, fratres, quod Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit se audisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuissent Rom. i. Longè id fuit à Mariæ visceribus, longè sit à servulis ejus. Sed fortè quis dicat: Nunquid non eum præscierat moriturum? Et indubitanter. Nunquid non sperabat continuò resurrecturum? Et fidenter. Super hæc doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quis nam tu, frater, aut unde tibi hæc sapientia, ut mireris plus Mariam compatientem, quàm Mariæ Filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit: Fecit illud charitas, quâ majorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.

Jam te mater misericordiæ per ipsum sincerissimæ tuæ mentis affectum, tuis jacens provoluta pedibus luna, mediatricem sibi apud solem justitiæ constitutam devotis supplicationibus interpellat, ut in lumine tuo videat lumen, & solis gratiam tuo mereatur obtentu. quam verè amavit præ omnibus, & ornavit stolâ gloriæ induens, & coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Plena es gratiarum, plena rore cœlesti, innixa super dilectum, delitijs affluens. Ciba hodie pauperes tuos Domina, ipsi quoque catelli de micis edant, nec puero Abraham tantum, sed & camelis potum tribuas de supereffluenti hydria tua, quia tu verè puella es præelecta & præparata Altissimi Filio tuo, qui est super omnia benedictus in sæcula, Amen.

SERMO II.

SERMO II.

DE VIRGINE DEIPARA,

FOEcundæ Virginis amplectitur cœlum præsentiam, terra memoriam veneratur. Sic nimirum totius boni illic exhibitio, hîc tenuis quædam libatio primitiarum: ibi res, & hîc nomen. *Domine*, inquit Psal. 101. *nomen tuum in æternum, & memoriale tuum in generatione & generationem.* Generatio & generatio, non Angelorum profectò, sed hominum est. Vis scire quia nomen & memoriale ejus in nobis est, præsentia in excelso? *Sic orabitur*, inquit Matt. 6: *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.* Fidelis oratio, cujus ipsa primordia, & divinæ adoptionis & terrenæ peregrinationis admoneant, ut hoc scientes, quòd quàm diu non sumus in cœlo, peregrinamur à Domino, gemamus intra nosmetipsos adoptionem filiorum expectantes præsentiam utique Patris, Signanter proinde & de Christo Propheeta loquitur dicens Thre. 4. *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, in umbra ejus vivemus inter gentes.* Nam inter cœlestes quidem beatitudines non in umbra vivitur, sed potiùs in splendore. *In splendoribus sanctorum*, inquit Psal. 109. *ex utero ante luciferum genuite.* Verùm id quidem Pater.

At Mater sanè eundem ipsum in splendore non genuit, sed in umbra, non nisi eâ tamen, quâ obumbravit Altissimus. Meritò proindè canit Ecclesia, non illa quidem Ecclesia Sanctorum, quæ in excelsis & in splendore est: sed quæ interim peregrinatur in terris. *Sub umbra ejus*, ait Cant. 2. *quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Lucem quippe meridianam ubi pascit sponfus, sibi petierat indicari, sed repressa est, & pro plenitudine luminis umbram, pro satietate interim gustum recepit. Denique non ait, sub umbra ejus quam desideraveram:

M

sed,

sed. *sub umbra ejus quem desideraveram sedi.* Neque enim ipse expetierat umbram, sed ipsum profecto meridiem, lumen plenum de lumine pleno. *Et fructus,* ait, *dulcis gutturi meo.* ac si dicat, gustui meo. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? Quousque manet illa sententia Psal. 33. *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus?* Et quidem suavis gustui, & dulcis gutturi, ut merito etiam super hoc sponsa proferit in vocem gratiarum actionis & laudis.

Sed quando dicitur Cant. 5. *Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi?* Justi epulentur (ait Propheta Psal. 67.) sed *in conspectu Dei,* utique non in umbra. Et de se ipso. *Satiabor,* ait Psal. 16. *cum apparuerit gloria tua.* Sed & Dominus ad Apostolos ait Luc. 22. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam.* Sed ubi? *In regno meo,* inquit. Beatus planè qui manducabit panem in regno Dei. Sanctificetur itaque nomen tuum: per quod utcunque interim in nobis es Domine per fidem in cordibus habitans, quoniam nomen tuum jam invocatum est super nos. Adveniat regnum tuum. Veniat utique quod perfectum est, & evacuetur quòd est ex parte. *Habetis* (ait Apostolus Rom. 6.) *fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Vita æterna fons indeficiens, qui universam irrigat superficiem paradisi. Nec modò irrigat, sed inebriat, fons hortorum, puteus aquarum viventium quæ fluunt impetu de Libano: & fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Quis verò fons vitæ nisi Christus Dominus? Colof. 3. *Cum Christus* (inquit) *apparuerit vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Sane ipsa sese plenitudo exinanivit, ut fieret nobis justitia & sanctificatio & remissio, necdum apparens vita, aut gloria, aut beatitudo. Derivatus est fons usque ad nos, in plateis derivatæ sunt aquæ, licet non bibat alienus ex eis. Descendit per aquædu-
ctum

etum vena illa cœlestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens, alijs quidem minùs. Plenus equidem aquæ ductus, ut accipiant cæteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam.

Advertistis jam, ni fallor, quem velim dicere aquæ ductum qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, sed si non prout est, proat capere poteramus. Notis enim cui dictum sit? *Ave gratiâ plena.* An verò inveniri potuisse miramur, unde talis ac tantus fieret aquæ ductus, cujus nimirum summitas instar profectò scalæ illius quam vidit Patriarcha Jacob *Genes. 28.* cœlos tangere, imò & transcendere cœlos, ut vividissimum illum aquarum quæ super cœlos sunt, posset attingere fontem? Mirabatur & Salomon, & velut desperati similis aiebat *Prov. 31. Mulierem fortem quis inveniet?* Nimirum propterea à tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quòd necdum intercederetis, de quo loquimur, tam desiderabilis aquæ ductus. Nec mirabere diutiùs expectatum, si recordaris quot annis Noë vir justus in arce fabrica laboravit, in qua paucæ, id est, octo animæ salvæ factæ sunt, idque satis ad modicum tempus.

Sed quomodo noster hic aquæ ductus fontem illum attingit tam sublimem? Quomodo putas nisi vehementiâ de fiderij, nisi fervore devotionis, nisi puritate orationis? Sicut scriptum est *Eccli. 35. Oratio justi penetrat cœlos.* Et quis justus, si non Maria justa, de qua sol justitiæ ortus est nobis? Quomodo ergo illa inaccessam attingit majestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Denique & quod quærebat, invenit: cui dictum est: *Invenisti gratiam apud Deum.* Quid? Plena est gratiâ, & gratiam adhuc invenit? Digna prorsus invenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono: sed quemadmodum scriptum est *Eccli. 24. Qui bibit me, adhuc sitiet:*

perit supereffluentiam, ad salutem universitatis. *Spiritus sanctus*, ait, *superveniet in te*, & pretiosum illud balsamum tantâ tibi copiâ tantaque plenitudine influet, ut copiosissimè effluat circumquaque. Ità est, jam sentimus, jam exhilarantur facies nostræ in oleo, jam clamamus Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum*, memoriale tuum in generatione & generationem. Verùm id quidem non in vanum, etsi oleum effunditur, sed non perit. Propterea si quidem & adolescentulæ, parvulæ scilicet animæ, sponsum diligunt, idque non parum: & unguentum descendens de capite, non modo barba, sed & ipsa vestimenti ora suscipit.

Intuere ô homo consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit. Redempturus humanum genus, pretium univèrsam contulit in Mariam. Ut quid hoc? Fortè ut excusaretur Eva per filiam, & querela viri adversus fœminam deinceps sopiretur. Ne dixeris ultra (ô Adam Gen. 3.) *mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vetito*: dic potiùs, mulier quam dedisti mihi, me cibavit fructu benedicto. Piissimum sanè consilium, sed latet forsitan aliud, nec totum hoc est. Verùm id quidem, sed parum est (ni fallor) desiderijs vestris. Dulcedo lactis est, elicietur forte si fortiùs premimus, & pinguedo butyri. Altiùs ergo intueamini quantò devotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proindè si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit delitijs affluens. Hortus planè deliciarum, quem non modò afflaverit veniens, sed & perflaverit superveniens auster ille divinus, ut undique fluant & effluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris utique magni & spatiosi, quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur.

Totis

Totis ergò medullis cordium, totis præcordiorum affectibus: & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc inquam voluntas ejus est, sed pro nobis. In omnibus siquidem & per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere: solo auditu territus ad folia fugiebas. Iesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. An verò trepidas & ad ipsum? Frater tuus est & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan & in ipso majestatem vereare divinam, quòd licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipsum? ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modò pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipsa pro reverentia sua: Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potestne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam, non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum planè. *Invenisti* (ait Angelus Luc. 1.) *gratiam apud Deum.* Fœliciter. Semper hæc inveniet gratiam, & sola est gratia qua egemus. Prudens virgo non sapientiam, sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia qua salvamur.

Quid nos alia concupiscimus, Fratres? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus: quia quod quærit, invenit, & frustrari non potest. Quæramus gratiam, sed gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Quærant alij meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? Num gratiæ est

quòd hìc sumus? Profectò misericordiæ Domini est quòd non sumus consumpti nos. Qui nos? Nos perjuri, nos adulteri, nos homicidæ, nos raptores, purgamenta utiq; mundi hujus. Consulite conscientias vestras, Fratres, & videre, quia ubique abundavit delictum, superabundat & gratia. Maria non præ tendit meritum, sed gratiam quærit. Denique usque adeò fidit gratiæ, & non altum sapit, ut salutationem Angelicam vereatur. *Maria*, inquit, *cogitabat qualis esset ista salutio*. Nimirum sese salutatione Angelicâ reputabat indignam. Et forsitan talia meditabatur. Unde hoc mihi, ut veniat Angelus Domini mei ad me? Ne timeas Maria, ne mireris Angelum venientem, & major Angelo venit. Ne mireris Angelum Domini, & Dominus Angeli tecum. Postremò quidni videas Angelum, cum jam Angelicè vivas? Quidni visitet Angelus vitæ sociam? Quidni saluet civem Sanctorum & domesticam Dei? Angelica planè vita virginitas: & qui non nubent neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei.

Videsne quòd & hoc nihilominus modo aquæ ductus nofter ascendit ad fontem, nec solâ jam oratione cælos penetrat, sed etiam incorruptione *qua proximum Deo facis*, sicut Sapiens ait? Sapien. 6. Erat enim Virgo sancta corpore & spiritu, cui specialiter esset dicere: *Conversatio nostra in cælis est*. Sancta, inquam, corpore & spiritu, ne quid forsitan super hoc dubites aquæ ductum. Sublimis equidem valde, sed nihilominus integerrimus manet. Hortus conclusus, fons lignatus, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti. Nec enim est fatua Virgo, cui non modò oleum est, sed olei plenitudo in vase recondita. Ascensiones in corde suo disposuit, conversatione pariter (sicuti jam diximus) & oratione ascendens. Denique abiit in montana cum festinatione, & salutavit Elisabeth, & in ministerio ejus erat quasi mensibus tribus ut jam tunc posset dicere matri mater, quod tanto post Filio dixit filius: *sine modò, sic enim decet nos implere*

implere omnem justitiam. Planè montana conscendens, cujus justitia sicut montes Dei. Tertius enim hic ascensus Virginis fuit, ut funiculus triplex difficile rumperetur. Fervebat siquidem in quærenda gratia charitas; splendebat in carne virginitas; humilitas in obsequio eminebat. Etenim si omnis qui se humiliat exaltabitur; quid hac humilitate sublimiùs? Venisse eam mirabatur Elisabeth, & dicebat: *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* Sed jam magis miretur quòd instar utique Filij & ipsa non ministrari venerit, sed ministrare. Meritò proinde cantor ille divinus in ipsius admiratione præcinens, ajebat Cant. 6. *Quæ est ista que ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Ascendit planè supra omne humanum genus, ascendit usque ad Angelos, sed & ipsos quoque transcendit, & cœlestem omnem supergreditur creaturam. Nimirum supra Angelos hauriat necesse est, quam refundat hominibus aquam vivam.

Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Verè sancta corpore & spiritu, & integritatem carnis habens, & propositum integritatis. Respondens autem Angelus dixit: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ne me interrogaveris, inquit, supra me est, & non potero ad illud. Spiritus sanctus, non Angelus, superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, non ego. Ne steteris, vel inter Angelos Virgo sancta, sublimiùs aliquid tuo sibi ministerio propinandum terra fitiens præstolatur. Paululùm cum pertransieris eos, invenes quem diligit anima tua. Paululùm, inquam, non quia non incomparabiliter superemineat. sed quòd inter eum & ipsos medium nihil invenias. Transi ergo Virtutes & Dominationes, Cherubim quoque & Seraphim, ut ad eum pervenias, de quo vociferantur ad invicem, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* *Quod enim ex te nascetur sanctum vocabitur*

cabitur Filius Dei. Fons sapientiæ, verbum Patris in excelsis, hoc verbum mediante te caro fiet: ut qui dicit Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me:* dicat nihilominus, *quia ego à Deo processi & veni. In principio,* inquit, *erat verbum.* Ioan. 1. Jam scetet fons, sed interim tantum in semetipso. Denique *& verbum erat apud Deum:* lucem profectò habitans inaccessibleem, & dicebat Dominus ab initio Hier. 29. *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Sed penes te est cogitatio tua, & quid cogites, nos nescimus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus erat? Descendit itaque cogitatio pacis in opus pacis: verbum caro factum est, & habitat jam in nobis. Habitat planè per fidem in cordibus nostris, habitat in memoria nostra, habitat in cogitatione: quia usque ad ipsam descendit imaginationem. Quid enim prius cogitaret homo de Deo, nisi forsitan idolum corde fabricaretur.

Incomprehensibilis erat & inaccessibleis, invisibilis & incogitabilis omnino. Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quonam modo, inquis? Nimirum jacens in præsepio, in virginali gremio cubans, in monte prædicans, in oratione pernoctans, & in cruce pendens, in morte pallescens, liber inter mortuos, & in inferno imperans: seu & tertiâ die resurgens, & Apostolis loca clavorum victoriæ signa demonstrans, novissimè coram eis cœli secreta conscendens. Quid horum non verè, non piè, non sanctè cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito, & per omnia est Deus meus. Hæc ego meditari dixi sapientiam, & prudentiam judicavi eruere memoriam suavitatis: quoniam in hujusmodi nucleis virga sacerdotalis copiosè produxit, quam in supernis hauriens, uberiùs nobis Maria refundit. In supernis planè & ultra Angelos: quod verbum ex ipso Patris corde suscepit, ut scriptum est: *Dies diei eructat verbum, Psal. 18.* Utique dies Pater: siquidem

quidem dies ex die salutare Dei. An non & virgo dies? Et præclara rutilans planè dies, quæ procedit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.

Intuere igitur quemadmodum usque ad Angelos plenitudine gratiæ, supra Angelos superveniente Spiritu sancto pervenit. Est in Angelis charitas, est puritas, est humilitas. Quid horum non enituit in Maria? Sed ostensum est superiùs, ut quidem à nobis ostendi potuit; supereminentiam prosequamur. Cui enim Angelorum aliquando dictum est: *Spiritus sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*: Denique veritas de terra orta est, non de Angelica creatura: nec Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Magnum est Angelo ut minister sit Domini, sed Maria sublimiùs quiddam meruit ut sit Mater. Fecunditas itaque Virginis supereminens gloria est, tantoque excellentior Angelis facta munere singulari, quanto differentiùs præ ministris nomen Matris accepit: hanc invenit gratiam plena jam gratiâ, ut charitate fervida, virginitate integra, humilitate devota: fieret nihilominus sine viri cognitione gravida, sine muliebri dolore puerpera. Parum est: quòd ex ea natum est, *sanctum* vocatur Luc. 1. & est Filius Dei.

De reliquo, Fratres, curandam nobis summoperè est, ne verbum quod de ore Patris ad nos egressum est virgine mediante, vacuum revertatur: sed per eandem nihilominus virginem gratiam pro gratia referamus. Eruetemus memoriam, donec præsentiam suspiramus, & suæ reddantur origini fluentia gratiæ, ut uberiùs fluant. Alioquin nisi ad fontem redeant, exsiccantur, & infideles in modico, quod maximum est, accipere non meremur. Modicum planè memoria ad præsentiam, modicum ad id quod cupimus, magnum ad id quod meremur: longè infra desiderium, sed nihilominus supra meritum. Sapienter proinde

N

sponsa,

sponsa, & pro hoc modico non modicè gratulatur. Cùm enim dixisset Cant. 1. *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*: recipies exigua pro immensis, & pro pastu meridiano libans sacrificium vespertinum, minimè tamen, ut solet fieri, murmurat aut tristatur, sed gratias agit, & in omnibus sese exhibet devotior. Novit enim quòd si fidelis fuerit in umbra memoriæ, lucem præsentis sine dubio obtinebit. Itaque qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei. Nimirum qui præsentem habent Dominum, exhortatione non indigent: & quod ait Propheta alius Psal. 147. *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion*: congratulationis est potius quàm commitionis. Qui in fide ambulant, egent admonitione ne taceant, & ne dederint silentium ei. Loquitur enim, & loquitur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad eor. *Ceterùm cum sancto sanctus eris: Pl. 17. & cum viro innocente innocens eris*: & audientem sese audiet, & loquenti sibi loquetur. Alioquin silentium ei dedisti si taceas. Sed unde si taceas? A laude? *Ne taceatis*, inquit Esa. 62. *& ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Hierusalem laudem in terra*. Laus Hierusalem jucunda, & decora laudatio. Nisi fortè Angelos cives Hierusalem mutuis opinamur laudibus delectari, & decipere de vanitate in idipsum.

Fiat voluntas tua Pater sicut in cœlo & in terra, ut laus Hierusalem stabiliatur in terra. Quid enim modò est? Non querit Angelus ab Angelo gloriam in Hierusalem, & homo ab homine laudari cupit in terra? Execranda perversitas, sed eorum fit, qui ignorantiam Dei habent, qui oblii sunt Domini Dei sui. Vos qui reminiscimini Domini, ne taceatis à laude ejus, donec stabiliatur & perficiatur in terra. Est enim silentium irreprehensibile, imò & laudabile magis. Est & sermo non bonus. Alioquin non diceret Propheta Thren. 3. *bonum esse homini prestolari*

cum

cum silentio salutare Dei. Bonum silentium à jactantia, bonum à blasphemia, bonum à murmure & detractioe. *Alius* enim ob laboris magnitudinem & pondus diei exasperatus, animo murmurat; dijudicat eos qui animâ suâ pervigilant, tanquam redditori utique rationem. Clamor est, sed supra omne silentium clamor iste animi obdurati filere facit (quàm audiri non patitur) vocem verbi. *Alius* pusillanimitate spiritûs in expectatione deficit, pessimumque hoc verbum blasphemix est, quod nec in hoc sæculo remittitur, nec in futuro. *Tertius* in magnis ambulat, & in mirabilibus super se, dicens: Manus nostra excelsa, putans se aliquid esse, cum nihil sit. Quid loqueretur huic, qui loquitur pacem? Dicit enim, quia dives sum, & nullius egeo. Porro veritatis sententia est Luc. 6. *Va vobis divitibus, quia habetis hic consolationem vestram.* Contra verò: *Beati*, inquit Matth. 5. *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Sileat ergò in nobis lingua maledica, lingua blasphema, lingua magniloqua: quoniam bonum est in hoc triplici silentio salutare Domini præstolari, ut dicas: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Ejusmodi quippe voces non ad eum sunt, sed advertus eum, sicut legislator murmurantibus ait Exod. 16. *Non enim contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.*

Ita tamen ab his taceas, ne omninò taceas, ne dederis silentium ei. Loquere illi contra *jactantiam* in confessione, ut obtineas veniam de præterito. Loquere in gratiarum actione contra *murmurationem*, ut ampliorem invenias gratiam in præsentibus. Loquere in oratione contra *diffidentiam*, ut consequaris & gloriam in futuro. Confitere, inquam, præterita, & pro præsentibus gratias age, ac deinceps ora studiosius pro futuris, ut ne ipse quidem sileat à remissione, ab immissione, à promissione. Ne taceas, ne dederis silentium ei, loquere ut & ipse loquatur, & dicere possis Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Jucunda

vox, & eloquium dulce. Nimirum non vox murmuris hæc, sed vox turturis est. Et ne dixeris Psal. 136. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* non jam aliena reputabitur, de qua sponsus ait Cant. 2. *Vox turturis audita est in terra nostra.* Audierat enim dicentem: *Capite nobis vulpes parvulas:* & fortè ex eo in vocem exultationis erupit ut diceret: *Dilectus meus mihi & ego illi.* Planè vox turturis, quæ tam viventi, quàm mortuo, singulari utique castimoniâ, suo compari perseverat, ut eam neque mors neque vita à Christi separet charitate. Intuere etenim utrumne aliquid hunc dilectum avertere potuerit à dilecta, quominus ei & peccanti & averfa perseveraret. Glomeratæ nubes radios solis offendere contendebant, ut iniquitates nostræ separarent inter nos & Deum, sed incaluit sol, & universa dissolvit. Alioquin quando redijsses ad eum, nisi ille tibi perseverasset, nisi clamasset Cant. 6. *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, ut intueamur te?* Esto ergo illi, & tu nihilominus perseverans, ut nullis ab eo flagellis aut laboribus avertaris.

Luctare cum Angelo, ne succumbas; quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud Matt. 11. An non lucta, *Dilectus meus mihi, & ego illi?* Notam fecit dilectionem suam, experiatur & tuam. In multis enim tentat te Dominus Deus tuus. Declinat sæpiùs, avertit faciem, sed non in ira. Probationis istud est, non reprobationis. Sustinuit te dilectus, sustine tu dilectum, sustine, viriliter age. Non illum vicere peccata tua, te quoque ipsius flagella non superent, & obtinebis benedictionem. Sed quando? Cùm aurora fuerit, cùm aspiraverit jam dies, cùm stabilierit Hierusalem laudem in terra. *Ecce,* inquit Gen. 32. *vir luctabatur Jacob usque manè.* Audiam fac mihi manè misericordiam tuam, quia speravi in te Domine. Non tacebo, nec dabo tibi silentium usque manè; utinam nec jejunium. Nimirum dignaris & pasci, sed inter lilia. *Dilectus meus mihi & ego illi,*

illi, qui pascitur inter lilia Cant. 2. Nimirum & supra, si meministi, in eodem cantico evidenter expressum est, quòd florum apparitio turturis comitetur auditum. Sed attende, quòd locum non cibum indicare videtur, nec quibus pascitur exprimit, sed inter quæ. Fortè enim non cibo, sed consortio pascitur liliorum: nec liliis vescitur, sed versatur. Nimirum odore potiùs quàm sapore lilia placent, & visui magis sunt apta quàm esui.

Ita ergo pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & venustati florum fructum succedat ubertas. Interim quippe florum non fructuum tempus est, dum in spe magis, quàm in re sumus: & per fidem non per speciem ambulantes, expectatione magis quàm experienciã gratulamur. Considera denique floris tenebritudinem, & memento verbi, quod ait Apostolus Cor. 4. *Quia habemus thesaurum istum in vasibus fictilibus.* Quanta enim videntur imminere pericula floribus? quàm facile spinarum aculeis lilium perforatur? Meritò proinde canit dilectus: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Cant. 2.* An non erat inter spinas, qui dicebat Psal. 119. *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus?* Cæterùm etsi justus germinat sicut lilium, sed non ad lilium sponsum pascitur, nec in singularitate complacet sibi. Audi denique inter lilia commorantem. *Ubi,* inquit Matth. 18. *duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Amat semper media Iesus diverticula, semper & reclinatoria reprobabat Filius hominis, Dei & hominum mediator. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascit inter lilia. Curemus habere lilia fratres, extirpare spinas & tribulos, & inferere lilia festinemus: si quando fortè & ad nos pascendus dignetur dilectus descendere.

Apud Mariam utique pascebatur, idque copiosius pro multitudine liliorum. An non lilia virginitatis decus, humilitatis insigne, supereminetia charitatis? Erunt tamen & nobis lilia, quamvis inferiora valde, sed ne inter hæc quidem dedignabitur

bitur pasci sponfus: siquidem eas, quas prædiximus actiones gratiarum, devotionis hilaritas illustraverit, orationem intentionis puritas candidaverit, confessionem indulgentia dealbaverit, sicut scriptum est Isaïæ I. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Cæterum quicquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat quo influxit. Neque enim impotens erat Deus, & sine hoc aquæ ductu infundere gratiam prout vellet, sed tibi vehiculum voluit providere. Fortè enim manus tuæ, aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quòd non eas ab omni munere excussisti. Ideoq; modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis & ab omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quædam lilia sunt, nec caufabitur ille liliorum amator inter lilia non inventum, quicquid illud sit quòd inter Mariæ manus invenerit.

SERMO PANEGYRICUS

Ad B. VIRGINEM DEIPARAM.

Alias, Ad gloriosam Virginem Mariam deprecatio et laus elegantissima.

MEntem & oculos pariter cum manibus ad te Regina mundi attollimus & coram tuæ celsitudinis gloriâ genuflectimus, cervicem inclinamus, ac plenis suspirijs ad te preces in cælum transmittimus. Tu altitudo cæli, beatos oculos tuos, quibus incomprehensibilem gloriam illam lucis æternæ cum desiderio semper intueris, ad tuos supplices in hanc mundi miseriam projectos, de alto inclinare non despicias. Et ecce coram
tremen-

tremendo iudice peccatores assistimus, cuius manus terribilis gladium iræ suæ vibrat super nos. Et quis avertet eam? Nemo Domina tam idoneus, ut gladio Domini manum pro nobis obijciat, ut tu Dei amantissima, per quam primùm in terris suscepimus misericordiam de manu Domini Dei nostri. Aperi itaq; tu mater misericordiæ benignissimi cordis tui januam suspiriosis precatibus filiorum Adam. Ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis umbraculum confugimus à facie formidinis Dei. Ad te Domina mea, stillant oculi nostri: te devotionis clamore valido obsecramus: ut Filij tui Domini nostri iram quam graviter peccando succendimus, erga nos mitiges, ejusque gratiam à qua ingrati excidimus, nobis tua conciliet: cujus livore sanati sumus, ejus iterum medelam deposcimus; quia putruerunt & corruptæ sunt cicatrices nostræ, & non est in nobis sanitas. Attende Domina, & vide dolores vulnerum animarum nostrarum, quia tibi revelamus causam nostram cum fiducia.

Te enim inæstimabilis benignitatis scæminam & venerandam matrem esse cognoscimus ex eo, quod tu mundum hunc immundum & lubricum, impolluto calle transisti; & adhuc inter peccatores degens, tantâ ante Deum sanctitate scæcundaris, ut sola solio Regis æterni immediatè approximare merueris. Tu peccatorem quantumlibet foetidum non horres, non despicias; si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum à desperationis baratro piâ manu retrahis, spei medicamen aspiras, foves, nec deseris, quousque horrendo Judici miserum reconcilies. Famosum hujus tuæ benignitatis testimonium est, per te restauratus gratiæ Theophilus. Nec mirum ô Domina, si tam copioso misericordiæ oleo tui cordis perfusum est solarium, cum illud inæstimabile opus misericordiæ, quod prædestinavit Deus ante sæcula in redemptionem nostram, primùm in te à mundi artifice sit fabricatum.

Quan-

Quando enim placuit gratiæ supernæ, ut habitaret in nobis, à quibus diu elongata fuerat: tu sola inventa es digna, ut in tua virginali aula Rex regum, & Dominus dominantium à regalibus sedibus veniens primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. Verè beneplacitum fuit Deo habitare in te, quando ex ipsa illibata carnis tuæ substantia quasi de lignis libani architecturâ ineffabili domum sibi ædificavit Dei sapientia: suffulit eam septem columnis argenteis, ac reclinatorium aureum in ea collocavit. Hi sunt septem Spiritus Dei; & hæc est unica illa Salvatoris scœmina, in qua sola quæsitam in omnibus requiem invenit, atque in ejus sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit. Benè Spiritui sancto in te complacuit, ô Maria, cùm divinis adeò mysterijs uterum tuum consecrare dignatus est. Ipse est enim ignis consumens qui sanctissimam animam tuam totam inflammavit, seipso, atque splendore divinæ majestatis implevit: tuumque uterum ineffabili modo fecundavit: Fecitque ut Deum & hominem clausa conciperes, clausa pareres, & post partum Virgo permaneres.

Jam ergo uterum tuum Domina velut sacratissimum Dei vivi templum totus mundus veneratur; quia in eo salus mundi initiata est; ibi decorem indutus est Dei Filius; ac præelectæ sponsæ suæ Ecclesiæ formosus in stola candida exultanter occurrit, desideratum diu osculum prælegit, ac prædestinatas à sæculo nuptias, virgo cum virgine prælibavit. Ibi ruptus est paries inimicitiarum quem inter cœlum & terram protoplastorum in obedientia construxerat. Ibi confæderata sunt terrenis cœlestia; & obviaverunt sibi in osculo pacis, quando in unam, eandemque personam concurrerunt, divinitas & humanitas. factumque est novum illud super terram, ut esset Deus homo, & homo Deus. Ibi magnus Elifæus in mensuram luscitandi pueri sese contraxit. Ibi antiquus dierum præelecto filio suo tunicam induit

induit Polymitam. Ibi Rebecca futurorum præscia magnificandi filij manibus pelliculas hædorum circumdedit, & colli nuda protexit. Ibi enim cooperante gratiâ Spiritus sancti Filius à Deo Patre hæreditandus in omnibus gentibus divinæ majestatis potentiam similitudine carnis peccati cooperuit; & quasi absconditus est vultus ejus in infirmitate: unde nec reputavimus eum. Ibi consilij providentiâ inescatus est hamus, qui ad extrahendum serpentem antiquum in hoc mare magnum de cælo trajectus est. Inde egressa est armilla aurea, ut perforaretur maxilla Leviathan, ut evomeret mortuos non suos, quos ab origine mundi securè deglutiverat.

Hortus deliciarum nobis est sacratissimus tuus uterus, ô Maria: quia ex eo multiplices gaudij flores colligimus, quoties mente recolimus quàm magna multitudo dulcedinis toti orbi inde affulsit. Hortus conclusus tu es Dei Genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introivit. Tu sanctorum areola aromatum à cælesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas: inter quos pulcherrimos flores tres miramur in te ô excellentissima. Hi sunt quorum odore suavissimo, totam domum Domini replet, ô Maria. Viola humilitatis, Liliu castitatis, Rosa charitatis. Meritò de Dei areola flos ille speciosus de filijs paradisi electus est, super quem requievit Spiritus Domini. Et cui te assimilabimus, Mater pulchritudinis? Verè paradísus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protulisti, de quo qui manducaverit, vivet in æternum. Fons vite, qui ex ore Altissimi prodijt, de medio ventris tui exilivit, atq; in te in quatuor capita sese dispergens ad irrigandam faciem arentis mundi emanavit, lætificans civitatem Dei. Omnis enim qui biberit ex eo, non sitiet in æternum, & erit plus quàm paradísus hic, de cujus aqua si quis biberit, sitiet iterum. O quanta mundo contulisti, quæ tam salubris aquæductus esse meruisti!

○

meruisti!

meruisti! O lampas luculentissima, quantos latificasti, quando splendore Dei illustrata desideratum illud lumen, quo inventa est drachma decima, sedentibus in tenebris & umbra mortis protulisti? Te nimirum ille divini epithalamij præcentor à longè intuitus est, cum in admirationis vocem ita prorupit. *Qua est ista que progreditur, quasi aurora consurgens: pulchra, ut luna: electa, ut sol: terribilis, ut castrorum acies ordinata.* Sicut aurora valdè rutilans in mundo progressa es, ô Maria, quando veri solis splendorem tantæ sanctitatis jubare præcurristi, ut verè diem salutis, diem propitiationis, diem quem fecit Dominus à tua claritate, initiari dignum fuerit. Felix aurora felicis diei nuntia exitisti, talem auroram talis dies, & talè diem talis aurora decuit. Et rectè quidem auroræ implesti officium. Ipse enim sol iustitiæ de te processurus ortum suum quadã matutinã irradiatione præveniens, in te lucis suæ radios copiosè transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva produxerat, in fugam convertisti: atque ita desideratum cunctis gentibus solem mundo invexisti.

Tu *pulchra ut luna* diceris, eique non immeritò compararis. Illa enim omnium astrorum sola soli simillima, & candore venusta argenteo cæteris in cœlo præmicat sideribus: tu verò solis imago expressissima, inter millia astrorum Deo assistentium virginali puritate in cœlo gloriosa præfulges. Illa enim transfuso in se solati lumine noctem nostram illuminat: tu virtutum tibi à Deo inditarum magnificis exemplis ad imitationem tui nos provocas, sicque noctem nostram illuminas. Qui enim vias tuas consecutus fuerit, non ambulabit in tenebris: sed lumen vitæ inveniet. Tu ergo *pulchra es, ut luna*: immò & pulchrior luna; quia *tota pulchra es & macula non est in te*, neque vicissitudinis obumbratio. Tu *electa es ut sol*, ille inquam sol solis conditor. Ille enim electus est ex millibus virorum: tu electa ex millibus foeminarum. Ille electus ex omnibus

nibus

nibus quæ sunt : tu electa ex omnibus quæ per illum sunt. Tu *terribilis ut castrorum acies ordinata*. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum quando viderunt præter morem armaturâ omni fortiore instructam contrâ se procedere fœminam, fœminam fortem & ad bella doctissimam, *cujus ensis super femur suum propter timores nocturnos?* In circuitu ejus acies validas spiritualium virtutum suo se invicem ordine tuentium: siquidem ordinatione perseverat dies. Sed & innumerabilium beatorum spirituum militiam ad ministerium tanti principis delegatam fuisse nullatenus ambigimus: utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providerent, ne præparatum æterno Regi hospitium alienus hospes invaderet. Nimirum timor & tremor venerunt super eos, ita ut dicerent, ecce plus quàm Eva hæc: castra Dei sunt hæc, fugiamus Israëlem. Tu ergo bellatrix egregia primò eum qui primus omnia supplantavit, expugnare viriliter aggressa es. Tu & spiritum elationis Evæ vertice humilitatis complosisti: quam in te ita respexit Dominus, ut ipsius meritò super omnes choros Angelorum te sublimari dignam æstimaverit. Nunquam enim super omnes Angelos glorificata ascendisses, nisi priùs infra omnes homines humiliata descendisses. Tu & ardorem vetitæ concupiscentiæ, virtutæ castitatis in tua carne virginea eatenus extinxisti: ut is in cuius conspectu nec astra munda sunt, tantæ munditiæ carnem tuam judicaverit, ut etiam suæ divinæ puritati agglutinare non despexerit. His ergo primarijs ducibus tenebrarum à te fortiter expugnatis, omnis ante faciem tuam spiritualium nequitiarum militia in fugam conversa est.

Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei Genitrix. Sed adhuc locus est tuæ laudationi: adhuc in tuis laudibus lingua balbutit. Non enim sunt loquæ, neq; sermones in omni natione quæ sub cœlo est, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari.

cari. O magna, ô pia, ô multum amabilis Maria, tu nec nominari quidem potes, quin accendas: nec cogitari quin recrees affectus diligentium te, tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita piæ memoriæ portas ingrederis. Et nunc sequimur te, ô Domina, ex totis præcordiis vociferantes ad te, adjuva imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum. Vides hanc tunicam pelliceam quæ nos circumdedit? Tunica Evæ parentis nostræ hæc est, quam ad nos olim misera illa transmisit, & supervestivit carnem filiorum suorum, sicut diploide, confusione suâ. De manu quippe ipsius duplicis mali semen terra nostra suscepit; & concepit, & peperit nobis spinas & tribulos iniquitatis in anima, calamitatis in corpore, ac per hoc mortem utrobique. O infelix hæreditas? ô dira humanæ carnis infirmitas! usque quo patiemur te? Multum dorso nostra incurvastis, quia gravis es valde & diu te sustinuimus. Multum minuisti nos ab Angelis, equo & jumentis insipientibus coæquasti; nimis invaluisti, quæ non nisi morte Filij Dei sanari potuisti. Nimis super nos te extulisti, quando & usque ad eum qui super omnia est, incautè ascendisti.

Et quis liberabit nos à corruptela hujus miserrimæ pelliculæ? Gratia Salvatoris nostri Filij tui, ô Maria, qui ut infirma nostra tolleret, sponte infirmatus est: & ut mors mortis nostræ ipse fieret, innocens pro peccatoribus mortuus est. Et quis tam idoneus, ut loquatur ad Cor Domini nostri Iesu Christi, ut tu felix Maria, quæ in secretissimis amplexibus amantissimi filij tui recubas in meridie sempiterno, ejusque familiarissimo colloquio cum plena cordis lætitia perfrueris. Loquere Domina, quia audit Filius tuus: & quæcunque petieris impetrabis. Invoça bonum nomen ejus super nos, ut curemur à vetusta hac lepra carnis & spiritus. Exurge, virus hoc mortiferum exinanitura, quod de pomi sui reliquijs Eva nobis propinavit: quando succi
noxialis

noxialis gustu ebriata est, & reliquias dimisit parvulis suis. Utinam poculum suum ebria illa totum ebibisset non item in nos diffundisset. Te igitur Domina exorante, omne jugum nostrum computrescat à facie olei divinæ misericordiæ: renovetur, ut aquilæ juvenus nostra, ut novi nova voce novum canticum novis civibus aggregati illic ubi nova sunt omnia, jubilum sempiternum celebrantes in cymbalis jubilationis concinamus. Tollatur crassa nebula ab oculis nostris, ut revelatâ facie gloriam Domini speculantes in immensum illud pelagus divini luminis absorbeamur à Domini spiritu; ac Deo nostro in vinculis charitatis astricti unum cum ipso efficiamur: Præstet hoc nobis tuo interventu, ô Maria, Filius tuus Iesus Christus Deus & Dominus noster, cui laus & gloria, & gratiarum actio in sempiterna secula. Amen.

SERMO XLVI.

De Virginitatis & Humilitatis connexionione.

De Diversis. pag. 236.

A*ve Maria gratia plena.* Non in sola virginitate constare poterat gratiæ plenitudo: neque enim omnibus est de ea accipere. Felices qui non inquinaverunt vestimenta sua, & cum Regina nostra virginitatis privilegio gloriantur. Sed num unam tantum benedictionem habes ô Domina? Et mihi obsecro ut benedicas. Perit virtus illa à me, non est jam vel aspirare ad illam. Computruï in stercore meo, ut jumentum factus sum. Numquid non erit mihi etiam aliquid apud te, non erit ubi possum esse tecum, quia jam sequi non valeo quocumque jers? Quærit Angelus puellam quam præparavit Dominus filio Domini sui. Bibit ipse de hydria tua, cognata sibi virtute delectatus: sed numquid non & jumentis potum tribues? Bibit Angelus

O 3

quod

quod virum non cognoscis : bibant jumenta quod de humilitate singulariter gloriaris. *Respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ*, *Luc. 1.* Nam virginitas sine humilitate habet fortasse gloriam, sed non apud Deum. Humilia semper excelsus respicit, & alta à longè cognoscit, *Psal. 137.* Humilibus dat gratiam, *Jacob 4.* superbis resistit. Sed fortè ne in his quidem duabus metretis plena est hydria tua : capax est etiam tertiæ, ut non modo Angelus & jumenta, sed ipse jam bibat Architriclinus. Hoc enim vinum bonum, quod servavimus usque adhuc ; minister Angelus haurit, sed ut ferat Architriclino. Patrem loquor qui Principium Trinitatis, Architriclinus jure vocatur. Ait sanè Angelus, fecunditatem Mariæ commendans quæ tertia est metreta : *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, Luc. 1.* Ac si dicat : Cum eo solo tibi est generatio ista communis.

SERMO LI.

De Mariæ Purificatione & Christi

Circumcisione. *Tom. 2. p. 238.*

Quid est quod dicimus beatam Mariam purificari ? Quid verò quod ipsum Iesum dixi circumcidi ? Enim verò tam non indiguit illa purificatione, quàm nec ille circumcissione. Nobis ergo & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, ut à vitijs continentes, primùm per ipsam continentiam circumcidamur, deinde à commissis per pœnitentiam purificemur. Quid est autem quod Maria portat Iesum in utero, Ioseph in humero, in Ægyptum scilicet iens & inde rediens : Simeon portat in brachiis ? Significant isti tres, tres electorum ordines, Maria prædicatores, Ioseph pœnitentes, Simeon bonos operatores qui enim aliis evangelizat, quasi Iesum in utero portat, ut eum aliis vel potiùs alios ei pariat.

De

De talibus erat beatus Paulus, qui dicebat Galat. 4. *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Qui verò pro Christo laboribus fatigantur, qui persecutiones patiuntur, qui nulli mala inferunt, sed ab alijs illata patienter ferunt, merito isti portare eum in humeris dicuntur: quibus & ab ipsa veritate dicitur, Luc. 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* Si quis autem est, qui porrigat panem esurienti, potum siti-
tienti, cæteraque misericordiæ opera sollicitè impendat egen-
ti, nonne iste rectè videtur eum portare in brachijs? Hujus-
modi enim dicturus est in iudicio Dominus, Matt. 25. *Quam-
diu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.*

SERMO LII.

De domo divinæ Sapientiæ, id est,
VIRGINE MARIA. *Ibid.*

Sapientia ædificat sibi domum, &c. *Prov. 9.* Cum multis modis
Sapientia intelligatur, quærendum est quæ sapientia ædifica-
vit sibi domum. Dicitur enim *sapientia carnis Rom. 8.* quæ inimi-
ca est Deo: & *sapientia hujus mundi, 1. Cor. 3.* quæ stultitia apud
Deum: utraque ista secundum Iacobum Apostolum *Iacob. 5.*
terrena est animalis, diabolica. Secundum hanc sapientiam dicun-
tur sapientes ut faciunt mala, benè autem facere nesciunt: & in
ipsa sua sapientia arguuntur & perduntur, sicut scriptum est
*1. Cor. 3. Comprehendam sapientes in astutia eorum, & perdam sapi-
entiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et utiq;
talibus sapientibus videtur mihi dignè & competenter dictum
Salomonis aptari, quo ait: *Est malitia quam vidi sub sole, virum
qui videtur apud se sapiens esse.* Nulla talis sapientia, sive carnis,
sive mundi ædificat, immo destruit quamcumque domum in-
habitat. Est ergo alia sapientia quæ desursum est: primùm qui-
dem

dem pudica, deinde pacifica. Hic est Christus Dei virtus, & Dei sapientia, de quo Apostolus 1. Cor. 1. *Qui factus est, inquit, nobis sapientia est à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.*

Hæc itaque Sapientia quæ Dei erat, & Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, ædificavit sibi domum, ipsam scilicet Matrem suam Virginem Mariam: in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide & operibus præparare? Nimirum ternarius numerus ad fidem propter sanctam Trinitatem; quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quod autem in beata Maria sancta Trinitas fuerit (fuerit dico per præsentiam Majestatis) ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis: testatur nuntius cœlestis, qui ei arcana mysteria referans, ait Luc. 1. *Ave gratiâ plena Dominus tecum.* Et post pauca: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum sanctum: habes Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Neque enim potest esse, ut Pater sine Filio, aut sine Patre Filius, aut sine utroque procedens ab utroque Spiritus sanctus, ipso Filio dicente, Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Et iterum: *Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Manifestum est fuisse in corde Virginis fidem sanctæ Trinitatis.

Utrum autem & quatuor principales virtutes tanquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primum ergo videamus an fortitudinem habuerit. Quæ nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quæ abjectis secularibus pompis, spretoque voluptatibus carnis, soli Deo in virginitate vivere proposuit? Nisi fallor, hæc Virgo est, quæ apud Salomonem legitur Prov. 31. *Mulierem fortem quis inveniet? Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Quæ adeo fortis fuit, ut illius serpentis caput contereret, cui à Domino dictum est Gen. 3. *Inimicitias*

ponam

ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum. Porro quod temperans, prudens & iusta fuerit, ex Angeli collocazione, & sua ipsius responsione luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab Angelo: *Ave gratia plena, Dominus tecum:* non se extulit quasi quæ ex singulari gratiæ privilegio benediceretur, sed filuit: & qualis esset insolita hæc salutatio, secum cogitavit. Qua in re quid nisi temperans fuit? At verò cum de cœlestibus mysterijs ab eodem Angelo doceretur, diligenter quæsitit quomodo conciperet ac pareret, quæ virum utique non cognosceret: & in hoc sine dubio prudens extitit. Justitiæ autem præfert insigne ubi se *ancillam Domini* confiteretur. Nam quod justorum sit confessio, testatur qui ait Psal. 139. *Veruntamen justi confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.* Et alibi justis dicitur: Et dicetis in confessione, opera Domini universa bona valde.

Fuit igitur beata Virgo Maria fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, iusta in confessione. His itaque quatuor morum columnis & tribus fidei prædictis extruxit in ea sibi domum Sapientia cœlestis; quæ adeò mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis fecundaretur & caro, ac Virgo singulari gratiâ eandem ipsam Sapientiam carne tectam pareret, quam prius mente purâ conceperat. Nos quoque si ejusdem Sapientiæ fieri domus volumus, necesse est, ut eisdem septem columnis extruamur, id est, ut fide & moribus ei præparemur: Et in moribus quidem solam puto sufficere justitiam, cæteris tamen virtutibus circumfultam. Itaque ne errore fallatur ignorantia, sit ei prævia prudentia; Sint hincinde temperantia atque fortitudo ne fortè labatur, vel in dexteram vel in sinistram partem declinando.

SERMO XXIX. IN CANTICA.

§. 8. tom. 3. pag. 50.

Est enim sagitta electa amor Christi, quæ Mariæ animam non modò confixit, sed etiam pertransiuit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuum amore relinqueret, sed toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligeret, & esset gratiâ plena. Aut certè pertransiuit eam, ut veniret usque ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus, & fieret mater charitatis, cuius pater est charitas, Deus parturiens, & in sole ponens tabernaculum ejus, ut scriptura impleretur quæ dicit Esai. 49. *Dedite in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Hoc enim impletum est per Mariam, quæ in carne visibilem edidit, quem invisibilem nec de carne, nec cum carne suscepit. Et illa quidem in tota se grande & suave amoris vulnus accepit: ego verò me felicem putaverim si summâ saltè quasi cuspidè hujus gladij pungi interdum me sensero, ut vel modico accepto amoris vulnere dicat etiam anima mea: *Vulnerata charitate ego sum.* Quis mihi tribuet in hunc modum non modò vulnerari, sed & expugnari omninò usque ad exterminationem coloris, & caloris illius qui militat aduersus animam.

SERMO XXXI. IN CANTICIS.

§. 10. tom. 3. pag. 54.

Et bona fidei umbra, quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci. Scriptum est enim Act. 15. *Fide mundans corda eorum.* Fides itaque lucem non extinguit, sed custodit.

stodit. Quidquid sanè est illud quod videt Angelus, hoc mihi umbra fidei servat, fideli sinu repositum, in tempore revelandum. An non expedit tenere vel involutum, quod nudum non capis? Denique & Mater Domini vivebat in umbra fidei, cui dictum est Luc. 1. *& beata que credidisti.* Habuit & de Christi corpore umbram, quæ audivit, *& virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Nec enim vilis umbra, quæ de virtute Altissimi formatur. Et verè virtus in carne Christi, quæ Virgini obumbravit, ut quod impossibile erat mortali sceminae, objectu tamen involucris vivifici corporis ferret præsentiam majestatis, & lucem sustineret inaccessibleem. Virtus planè, in qua omnis contraria fortitudo debellata est. Et virtus & umbra fugans dæmones, tutans homines. Aut certè virtus vegetans, umbra refrigerans.

SERMO XLII. IN CANTICA.

S. 9. tom. 3. pag. 70.

Sponsæ verò humilitas tanquam nardus spargit odorem suum, amore calens, devotione vicens, opinione redolens. Sponsæ humilitas voluntaria est, perpetua est, fructifera est. Odor ejus nec reprehensione exterminatur, nec laude. Audierat Cant. 1. *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis, & collum tuum sicut monilia.* Acceperat & repromissionem ornatus aurei & nihilominus tamen cum humilitate respondet: & quantò majorem se audit, tantò humiliat se in omnibus. Non gloriatur in meritis, nec inter laudes suas humilitatis obliviscitur, quam & humiliter confitetur sub nardi nomine. Ac si voce Virginis Mariæ Luc. 1. dicat: nullius mihi meriti conscia sum ad tantam dignationem, nisi quòd *respexit Deus humilitatem ancille suæ.* Nam quid est aliud, *nardus mea dedit odorem suum, Cant. 1.* quàm pla-

cuit mea humilitas? Non mea, inquit, sapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi, sed quæ sola inerat humilitas dedit odorem suum, id est solitum, solita placet Deo humilitas. Solito planè atque ex consueto excelsus Dominus humiliâ respicit: & ideo cùm esset Rex in accubitu, id est in excelso habitaculo suo, illuc quoque humilitatis odor ascendit: *In altis habitat*, inquit Psal. 112. & *humilia respicit in cælo & in terra.*

SERMO XLV. IN CANTICA.

§. 2. tom. 3. pag. 73.

QUæramus geminam animæ pulchritudinem, hoc enim mihi videtur innuere. Decor animæ humilitas est. Non à me ipso hoc dicam, cùm Propheta prior dixerit Psal. 50. *Asperges me hyssopo, & mundabor*; humili herbâ, & pectoris purgativâ, humilitatem significans. Hac se post gravem lapsum Rex & Propheta lavari confidit, & sic niveum quendam innocentiam recuperare candorem. Verùm in eo qui graviter peccavit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas. At si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem: nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem? Sancta Maria sanctimoniam non amisit, & humilitate non caruit. Et ideo concupivit Rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiam sociavit. Denique *respexit*, inquit Luc. 1. *humilitatem ancille sue.*

SERMO XLVII. IN CANTICA.

§. tertius.

DIfferunt tamen & ipsi inter se, quòd hortus quidem, ut floreat, hominum manu & arte excolitur, campus verò ex semet-

femetipso naturaliter producit flores, & absque omni humanæ diligentiae adiutorio. Putasne jam tibi videris advertere quisnam ille sit campus, nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo, nec fimo impinguatus, nec manu hominis seminatus: venustatus tamen nihilominus nobili illo flore, super quem constat requievit Spiritum Domini? *Ecce, inquit Gen. 27. odor filij mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Necdum speciem suam ille flos agri induerat, & jam dabat odorem suum, quando eum, ut hoc præ gaudio exclamaret, præsensit Spiritu, corpore marcens sanctus & senex Patriarcha caligans visu, sed odoratu sagax. Non se proinde debuit florem *thalami* protestari, qui flos est perpetuò vicens: sed neque item *horti*, ne humano videretur opere generatus. Pulchrè autem & convenientissimè *flos campi sum*, ait, qui & absque humana industria prodiit; & semel prodeunti nulla est deinceps dominata corruptio, ut sermo impleatur quem dixit Psalm. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

EX TOMO V.

Ex Tractatu de PASSIONE DOMINI.

CAPUT X.

De tertio Folio Vitis, id est, III. Verbo Christi in Cruce.

Mulier ecce filius tuus, &c.

PRæparemus nunc visum pariter & auditum cordis nostri ad videndum tertium folium Vitis nostræ, *Mulier*, inquit Ioan. 19. *ecce filius tuus. Ecce mater tua.* Verbum bonum & suave, verbum mirabile, magnum, continens piæ charitatis affectum. Certè nos legimus Dominum Iesum, maximè cum ad

ætatem provec̄tam acceſſerat, chariſſimæ Matri ſuæ familiariùs adhæſiſſe: & cum ipſa frequentiùs convivatũ eſſe, & præ cæteris mitiùs allocutum. Sed quantus in ipſo fuerat circa matrem charitatis affectus jam corporaliter reſſuro, brevibus intimavit verbis: & ut crucis ſuæ taceam paſſionem, quanta circa beatam Matrem compaſſione mutuâ credis affectum fuiſſe cor, cujus mitiſſimum tam valido doloris gladio tranſverberatum perfectè ſciebat, adauxit vulnerum paſſionem materna compaſſio, quam contritiſſimo corde, manibus comploſis, oculis lacrymarum torrente fluentibus, vultu contracto, voce querulâ, & totis viribus cordis deſtituta, viriliter eum vidit ſibi aſtare pendenti. Quotiens ipſam ad illa immitia verecundos putas oculos elevaſſe: ſi tamen eos aliquando inde deſlexit, vel ſi præ nimio fluxu lacrymarum potuit intueri. Quotiens ipſam propter verecundiam vitginalem, pariter & immenſitatem doloris ſtantem ut æſtimo, capite cooperto ingemiſſe putas lugendo filium, & dicendo fili mi Ieſu, Ieſu fili mi. Quis mihi det, ut tecum & propter te moriar, fili mi dulcis Ieſu? quotiens ipſam præ immenſitate doloris credis potuiſſe deficere, à quò ipſum ſummè miror etiam mortuam non fuiſſe. Moriebatur vivens, vivendo ferens dolorem morte crudeliorem, ſed ne moriendo deficeret, à filio pro ipſa mortalitate confortata eſt. Confortata eſt intrinſecus, exterius verò & verbis & factis piè conſolata. Quomodo ſtabat juxta crucem Ieſu mater ejus? Verè juxta crucem ſtabat, quia crucem filij præ cæteris mater majore cum dolore ferebat, ſtabant & aliæ, ſed proxima hæc.

Cum ergo vidiffet Ieſus matrem & diſcipulum ſtantem quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier ecce filius tuus. Ad diſcipulum ait: Ecce mater tua. ac ſi diceret Ioan. 19. Tu me filio corporaliter privaris, unde tibi amicum præ cunctis dilectum in filium do, cujus præſentiâ interim dum abſum, conſoleris. Tu verò me patre ſpoliaris.

spoliaris, unde hanc matrem mihi charissimam tibi in matrem do. Conservate jura mutuæ charitatis ad invicem, tu istum filium, tu istam matrem habendo. O quàm munificus factus es in nuptijs tuis Rex & sponse, bone Iesu. Quàm largè quæ habuisti, omnia tradidisti! Ecce ipsis crucifixoribus tuis orationis affectum, latroni paradisum, matri filium, filio matrem, mortuis vitam, manibus Patris animam tuam, toti mundo signa potentiae tuæ contulisti, pro redimendo servo, non ex parte, sed totum sanguinem ex multis & largis foraminibus effudisti, proditori tuo reatus sui pœnam, terræ corpus non corrumpendum, sed ad tempus reddidisti.

Sed movet me quod cùm dixisset: *Mulier ecce filius tuus*, subjunxit, *Ecce mater tua*, cùm utique etiam, si hoc non subjunxisset, necessarium fuisset, eam esse matrem illius, qui in filium sibi datus erat. Sed hoc mutuæ charitatis affectum mihi commendare videtur. Sunt enim nonnulli, qui ab omnibus amari volunt, sed nullos affectu mutuo complectuntur. Nolunt ut eorum labores, & dolores alleventur, & cùm ferantur à pluribus, ipsi nullius onera volunt portare, &c. Non hoc enim Christus docuit aut fecit: portavit enim onera tua, invitans te, ut & tu onera portes illius, id est, ut passiones illius imiteris. Christus enim passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, *1. Petr. 2.* Hoc & docuit cùm matrem discipulo & matri discipulum mutuò commendavit: nimirum nolens ut charitas spiritualis ex una parte frigida remaneret: Sed ut simul dormientes, id est in vera & pura charitate simul quiescentes mutuò calefiant, id est, alter ab altero ad charitatis exercitia mutuò accendantur, hoc enim est efficax signum veræ & puræ charitatis, quod hi, qui spirituali dilectione spiritualiter connectuntur per puram charitatem, ad exercitia spiritualia alterutrum accendant, ut devotiùs orare, sæpiùs genuflectere, frequentius

quentius disciplinam corporalem suscipere liceat, præcipue cum nec inuideat, imò ut congaudeat amans quisque, si tertius vel quartus, vel plures ad charitatem illius quem amant, se adjungant, dummodo tales sint, quorum familiaritas non sit suspecta, & in his omnibus, & in his similibus charitatis fervore perseverantiam conservant. Non enim bonum videtur habuisse fontem rivus charitatis aliquando decrecens. Amemus ergo & nos invicem, & amoris efficaciam operibus approbemus, quia talis charitas ex Deo est, quæ finis est præcepti & quæ legem implet.

CAPUT XVII.

De flore humilitatis, qui est Viola.

§. 67. & 68. Tom. 5. pag. 113.

Bonus profectò flos est viola, qui florem cælestem Verbum æterni patris in uterum terreni floris beatissimæ Virginis mirificâ dulcedine sui odoris attraxit, ipsâ attestante, quæ ait *Luc. 1. Exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancilla sua.* Quid dicis? Nunquid non alios flores habes? Habeo inquam. Tota enim florea, nullius floris expers, quia nullâ virtute careo, cum tota speciosa sim, & macula non sit in me. Habeo lilium castitatis, quia prima votum conservandæ virginitatis vovi Domino. Habeo rosam charitatis. Quia si non usque adeo dilexissém Dominum, unde mihi tanta fiducia, unde tanta audacia, ut novum aliquid puella tenera & verrecunda, & adhuc sub párentum jure & præceptis legis constituta inchoarem? Sed ut verum fatear, audacem faciebat amor, coegit rosa ardens, servilem timorem devorans, ut facerem novum votum, & singulare lilium, ut possem quandoque dicere dilecto meo: candida sum & rubicunda, sicut & tu candidus & rubicun-

rubicundus. Habeo & alios quoscunque flores, sed nullum horum tanta dignatus prærogativa respexit in me Dominus, ut florem violæ meæ. *Respexit enim humilitatem ancillæ suæ.* Et vultis videre omnes, cui mutuavi flores meos, quantum sim ex flore consecuta? *Ecce enim ex hoc me dicent omnes generationes,* ex hoc dico, quia respecta sum à Domino. Flos violæ meæ, quia *nardus mea dedit odorem suum, Cant. 1.* quæ idem significat, quod viola, id est, humilitatis virtutem, qua fragrantia delectatus est Rex, filius Regis, Deus, Dei filius, cum esset in accubitu suo, id est, in sinu Patris, odore tam delectabili, quasi quadam illius violentia tractus est in me, & voluit concipi flos in flore, intra florem, id est intra Nazareth, quod interpretatur flos, ut fieret ipse flos florens, hoc est Nazarenus, concordant omnia florida. Concipitur flos manens in flore, hoc est in Nazareth. Bonus ergo omnino, & optimus violacius flos, qui odoris ejus fragrantia, quasi quodam delectabili vinculo florem cæli in uterum nostri flores humilis inclinavit.

Discant omnes, præ omnibus mundi flores, id est virgines qui in sua Ecclesia Dei excellunt, tanquam flores in gramine, quod virgo virginum prima, virginum devotarum sanctissima, & castissima omnium, summam gloriam ponit in viola humilitatis: licet in ea candeat singulariter lilium castitatis, rosa charitatis, rubescat. Nolite gloriari Virgines de castitate corporali, licet illa sit laudabilis virtus. Sed quanto majores estis vos, tanto humiliare vos in omnibus, ut inveniatis gratiam apud Deum. Non enim castitatem respexit Dominus, sed humilitatem Ancillæ suæ, si vultis oculo misericordiæ, oculo gratiæ à Domino respici, humiles estote. *Humilibus enim sic scriptura ait, Iac. 4. dat gratiam,* quia *respexit humilitatem ancillæ suæ.* Si vultis lampades vestras esse refertas oleo, cum sponsus ad nuptias venerit, *Matth. 25.* id est, si vultis integram & lætam conscientiam habere

Q

bere

bere (oleum enim in lampade est, lætitia spiritalis in corde) nolite de altitudine lilij vestri. id est, de puritate castitatis vestræ alta sapere. Nolite laudem exteriorem appetere, ne clauso ostio regni cœlorum dicat vobis sponsus. *Amen dico vobis, nescio vos: & à se excludat, qui respexit humilitatem ancille sue.* Multæ enim Virginum excluduntur, quia superbarum nulla ingreditur. Humilium verò nullus nec conjugatus nec virgo nec vidua merebitur expelli. Arcta est janua regni cœlorum, nec recipit nisi parvos, tumidi repelluntur, imò nequaquam possunt accedere cujuscunque sexus, sive conditionis fuerint vel ætatis. Et breviter dico, nulla virtus accedit nisi ad humilitatis violam fuerit inclinata. Dicit enim & docet hoc ipse humilitatis magister, qui advocans parvulum statuit eum in medio discipulorum & dixit *Matth. 18. Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvulus hic, non intrabitis in regnum cœlorum.* Nunquid posuit ibi in exemplum discipulis lilium castitatis Ioannem, vel rosam charitatis Petrum, qui & tunc præsentibus erant? quorum prior ab ipsis nuptiis, ut asseritur, vocatus fuit, & electus à Domino; sequens verò trinâ confessione Domino benigno Iesu, cui mentiri non potuit, perfectæ charitatis affectum contestatus est? Sicut enim Ioannes de speciali prærogativa castitatis, ita Petrus de ferventiori charitate commendatur, nec tamen istos in exemplum posuit cœlorum januam intraturis: sed parvulum humilitatis virtute præcelsum.

CAPUT XXVI.

De novo Cantico Virginibus cantando.

§. 97. & 98. tom. 5. pag. 119.

Non ita cantavit novi cantici Imitatrix Mater Christi verum lilium verè viridantibus foliis redimitum. Vis videre
folia

folia ejus? vis audire canticum ejus? exaltata & supra quam dici aut cogitari potest toti mundo cœlisque prælata, non ascendit supra se, sed cantavit canticum humilitatis, quod & charitas est, quia charitas non inflatur. Eructavit de corde suo inebriato verbum bonum & suave, canticum novum virginibus cantandum. Ecquid ait *Luc. 2. Magnificat anima mea Dominum*, vide quam contrarium est canticum hoc cantico Angeli ruituri. Incepit Maria ab imo, ut in altum sublevaretur. Magnificat hæc Dominum, non se, licet inæstimabiliter exaltata servans quod scriptum est *Eccli. 3. quantò major es, humilia te in omnibus*. Unde & super omnes choros Angelorū meruit elevari, magnificavit se ille supra Dominum, & infra omne quod est meruit præcipitari. Exultavit Spiritus humilis Mariæ in Domino Iesu suo, unde oleo lætitiæ præ consortibus suis inungi promeruit. Exultavit stultus ille Angelus in se: unde luctu perpetuo meruit condemnari, gloriatur illa humilitatem suam esse respectam, unde habebit fructum in respectiōem animarum sanctarum. Gloriabatur ille in multitudine virtutis suæ, vnde perpetuam despectionem incurrit.

Vos ergo ô Virgines Christi, virete in foliis, in herbis charitatis, humilitatis & patientiæ. Sequimini liliū illud præcipuum, Matrem summi lili, boni Iesu, ut ipsum solum magnificantes, qui solus magnus est, in ipso & ipsum, & cum ipso mereamini magnificari.

CAPUT XLIII.

De odore Florum Vitis.

§. 158. tom. 5. pag. 132.

IAm ad odorem florum Vitis nostræ accedamus, rogantes ipsum dulcissimum IESUM, ut sui odoris dulcissimi fragrantia

Q 2

corda

corda nostra dignetur aspirare, ut de ipso dulcia & sentire & dicere valeamus. Quid autem dicere de hoc odore poterimus? Mirabilis & supra quam potest credi aut cogitari, inestimabilis est iste odor Vitæ nostræ. Floruerunt & alij sancti palmites, in quibus ipse profectò floruit: sed certissimè viri illi soli capiti nostro optimo Iesu clamabant, nempe illa spiritualis sponsa. *Can. 1. Meliora sunt verba tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentule dilexerunt te. Trabe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum.* Non est mirum si odor inestimabilis nimis, qui de hac vite nostra florente procedit: si nomina ejus diligentius attendamus, quæ sunt Iesus, Christus Nazareus. Iesus autem ut scitis *salutaris* vel *salvator* interpretatur de quo psalmus. *Psal. 84. Convertite nos Deus salutaris noster.* Et iterum *Psal. 43. Salvasti nos de affligentibus nos.* Quis autem in afflictione positus salvari nolit? Si vis salvari & attrahi odore hujus nominis salutaris, quod effusum est sicut oleum: incipe delectari in dulcissimo Iesu, & confidenter require in vero salutare salutem, non imitando illos qui lætantur cum malefecerint & exultant in rebus pessimis *Prov. 2.* in quibus salutem suam constare putant: Sed potius eam, cujus spiritus exultavit in Deo salutare meo. *Luc. 1.* quæ nominis hujus salutaris odorem tanto suavius attraxerat, perfectiusque senserat, quanto illi fide, spe & charitate vicinior fuerat, quæ ipsum de suis visceribus genuerat, nempe verum & perfectum Deum & hominem, salutarem Iesum. Non ignorabat, qualiter sine omni carnali concupiscentia conceptus, qualiter sine omni dolore ex ipsa natus, quomodo à posterioribus prædicatus, quomodo à Magis adoratus, quomodo virgineo lacte suo nutritus, quomodo à Simeone & Anna commendatus. Noverat inquam hæc omnia & multò plura Virgo illa fidelissima & perfectissima fide salutarem veri salutaris sequebatur odorem. Nec poterat non sperare in
eum,

eum, quem fide perfectissima cognoscebat, & posse, & scire & velle salvare omnes desiderantes salutem. Quantum enim quis credit, tantum sperat, tantum amat. Quamto ergo hæc optima Mater perfectior fuit in fide tantò in spe fortior, & in charitate ferventior, omnem cogitatum suum jactans in eum.

SERMO.

De beata MARIA Deipara.

Ave Maria gratiã plena. 10. 5. p. 276.

Miraculum fuit quod Virgo peperit: mentis clamor Virginis amor, virtutum zelus, vitiorum fuit occasus. Virgo sanctissima, quæ salvatorem genuit, peperit, & aluit, quæ jugiter ejus adhæsit lateri, quæ comes individua nullo verè abfuit itinere, quæ intenta præ cæteris invigilavit, verbo & operi ejus, sola Salvatoris actuum insignia operum opera, melliflua prædicationis genera inaudita contra mundum & peccatum, & tartareum zabulum, divinæ severitatis acerrima eloquia, quo is diu interfuit, specialius vidit, secretius audivit, citius agnovit, propensius retinuit, & Apostolis alijsque discipulis luculentius edidit, diligentius retulit, melius indidit, fidelius tradidit. Hinc est quod de ea legitur in Evangelio Luc. 2. *Maria autem conser vabat omnia verba, hæc conferens in corde suo.* Hinc in ejus laudibus legitur Prov. 3. *Multa filie congregaverunt divitias, tu sola supergressa es universas* Licet enim in parabolis loqueretur ad turbas: licet omnia Apostolis nota faceret ut Amicis, quædam tamen credendum est præ cæteris matrem suam quemadmodum dilexisset, ita etiam propensius erudisset, quædam ei secretius intimasse; frequenter eam ad montem Myrrhæ, & ad colles turris sublimasse, in cellam vinariam occultasse. sui prout novit & voluit gloriam Deificam, & super cœlestem revelasse notitiam, undè

Q₃

Ioannes

Ioannes in Apocalypsi *Apoc. 4. De throno*, ait, scilicet de Maria, *procedebant fulgura & voces & tonitrua*: quia Maria Mater Filij Iesu Christi parabolas, ænigmata, legalia, & mirifica gesta, dicta opera avidius ebibit, fideius credidit, syncerius, luculentiusque alijs edidit.

Hæc Maria à natura reverenter conservata, & à lege diligenter venerata, à gratiâ clementer est præelecta: quia sic præfatis sua jura singillatim reddidit, reddendo sibi subdidit, ut honorem vicem omnibus impenderet, & insuper momenti quiddam supperadderet, natura siquidem illi summæ virginitatis florem, lex soli virginææ fœcunditatis honorem; gratia divinæ maternitatis præ cæteris decorem, ac spiritalis matrimonij divinissimum reservavit odorem. Natura (quod suum est) illibatam Virginem servando; lex reverenter eam ab illis distinguendo; gratia Virginitatem sine semine fœcundando, natura rebus loquendo non verbis, dum in ea integritatem servaret, & de ea Deus naturæ intonaret, dicens ad serpentem. *Gen. 3. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius.* Lex dum eam ab alijs distinguendo clamaret *Lev. 12. Mulier que suscepto semine peperit, immunda erit septem diebus.* Gratia in eo quod dictum est: *Ave gratiâ plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Natura huic detulit, dum terra sine germine pareret in principio. Lex, dum rubus arderet sine incendio. Gratia dum sine semine pareret virgo. In hac enim habitavit Pater & filius ut creator in mundo, Imperator in regno, Paterfamilias in domo, Pontifex in templo, Sponsus in thalamo: prius enim Altissimus sibi eam quasi mundum specialissimum creavit, quam in justitia & sanctitate coram ipso fundaret, & fluentis sapientiæ irrigaret, & cœlestibus desideriis instar scilicet veris, sublimaret, & igne dilectionis accendendo illustraret, hinc in ejus mente, tanquam in quodam firmamento solem

solem posuit rationis & lunam scientiæ, & virtutes tanquam stellas speciei omnimodæ: solem qui lucem divinæ cognitionis faceret: lunam quæ cum stellis noctem actionis splendidam redderet: & merito Domini est terra, quia sic super Maria fundavit eam. Creato igitur mundo volens visitare regnum imperavit Angelo.

Missus est igitur Angelus Gabriel à Deo. *Spiritus sanctus*, inquit *Luc. 1. super veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ita Paterfamilias domum intravit, in qua carnis habitum suscepit, quam obtulit Deo Patri pro salute generis humani. In ara crucis sacrificium quasi Pontifex in templo suum peregit sacerdotium: sed quia oportebat pati Christum & resurgere: & ita intrare in gloriam suam, oportebat ad Regem reportari humeris, ovem centesimam; oportebat populum qui ambulabat in tenebris, lucem magnam contemplari: mundum prædicationis suæ, & miraculorum novitate irradiavit. Descendens itaque de Patre luminum speciosus forma præ filiis hominum, indutus stolâ candidâ, in vestitu deaurato tanquam sponsus de thalamo processit ad publicum. Inerat sol in sydere, oriens in vespere, artifex latuit in opere: opus dum Regi præpararetur, vesper dum in tanta sublimitate humiliaretur, sydus dum tanquam stella illustraret fines orbis. Artifex igitur eam ornando, oriens de ea nascendo, & eam alijs in exemplum præbendo.

De Genitrice Dei cum talia & tanta referantur, pauca (rei pretio) nobis tamen esse videntur. Hæc est enim scala, rubus, arca, sydus, virga, vellus, thalamus, porta, ortus, aurora. Hæc est enim *scala Jacob*, qui quando caput in lapide posuit, Angelos ascendentes, & descendentes videre meruit. Scala ista habet duodecim gradus inter duo latera. Dexterum latus est contemptus sui usque ad amorem regni. Ascensiones hujus duodecim humilitatis gradus. *Primus* est odium peccati. *Secundus* est fuga delicti. *Tertius*

Quintus metus odij. *Quartus*, in omnibus his subesse Creatori. *Quintus* obedire meliori. *Sextus* obtemperare compari. *Septimus* obsequi inferiori. *Octavus* subesse sibi. *Nonus* finem suum jugiter meditari. *Decimus* sua opera semper vereri. *Undecimus* cogitationes suas humiliter confiteri. *Duodecimus* per omnia ad manum, ad nutum, ad libitum Domini moveri. Per hos gradus ascendunt Angeli, & sublimant homines, sic disponuntur in corde ascensiones, sensim proficiendo & pedetentim ascendendo: sic in domo Patris lucidas percipiunt mansiones. Hi sunt duodecim Apostoli, qui sequuntur in eremo vestigia Iesu Christi.

Rubus qui visus est ardere sine sui incendio *Exod. 3.* Virginitatem significavit concepturam de Spiritu sancto absque virginitatis suae detrimento. Rubus ad quem non est Moyses ausus calcatus accedere, Virginem docuit sine maritali opere mirabiliter parere. Traditio hebræorum visionem in humili arbustulo asserit traditam, ne populus occasione aliqua laberetur ad idololatriam; in humili Virguncula mirabilis nobis exhibita est visio, in qua nulli modæ fornicationis vel minima fuit occasio siquidem triplex est. Alia est humana, quædam est mundana, nonnulla est divina. Humana fit illicito affectu. Mundana perverfo affectu. Divina scelerato cultu. Prima peccatur in proximum, secunda in seipsum, tertia in Deum. Prima facit carnis immunditiam. Secunda mundi concupiscentiam. Tertia idololatriam. Maria contra hæc tria singula adhibuit remedia, contra carnis immunditiam, virginitatem, contra mundi concupiscentiam perfectam humilitatem, contra idololatriam perfectam charitatem. Fuit enim Maria mundissima carne, humillima corde, devotissima mente.

Arcas duas fuisse legimus in veteri testamento, unam arcam diluvij, *Gen. 6.* aliam testamenti, *Exod. 25.* In novo testamento autem tres fuerunt aliæ, Prima arca est Ecclesiæ, secunda gratiæ,

gratiæ, tertia sapientiæ. Licet enim prima veteris testamenti in typo fieret primæ novi, & secunda in typo præcesserit secundæ novi, tertia verò sicut excellenter omnibus est dissimilis, ita nulli penitus est comparabilis. Siquidem Arca Noë significavit arcam Ecclesiæ: Arca fœderis arcam gratiæ, sanctitatem scilicet Mariæ. Per sapientiæ arcam intelligimus humanitatem Iesu Christi sanctissimam. Hanc enim meritò arcam sapientiæ decet nuncupari, in qua omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi *Col. 2.* sapientiæ inquam excellenter, in qua habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Arca etiam Noë, significavit arcam gratiæ, excellentiam scilicet Mariæ. Sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium, sic per istam peccati naufragium. Illam Noë, ut diluvium evaderet, fabricavit: istam Christus (qui est pax nostra & requies) ut humanum genus redimeret, sibi præparavit. Per illam octo animæ tantum salvantur: per istam omnes ad æternam vitam (quæ per octonarium numerum significata est) vocantur. Per illam paucorum facta est liberatio: per istam humani generis salvatio. Illa centum annorum fabricata est spatium: in ista omnium virtutum fuit perfectio. Illa facta est de lignis levigatis: ista de virtutibus ædificata est consummatis. Illa superferebatur aquis diluvij, ista non sensit naufragia ullius vitij.

Triplex quidem diluvium est. Primum facit aquarum inundatio, secundum vitiorum incurfus, tertium tribulationum oppressio. Primum igitur est aquarum, secundum culparum, tertium oppressionum. In primo periclitati sunt homines, in secundo virtutes, in tertio voluptates. Primum quis naufragium patitur, deinde in pœnarum diluvium peccator inducitur, in tertium deinceps pœnarum infernalium retruditur. Sic infernus hîc incipit, alibi perficitur, cum anima vitio, caro supplicio atteritur. Per arcam verò Ecclesiæ evadimus à primo, per

R

arcam

arcam gratiæ à secundo, per arcam sapientiæ à tertio. Siquidem per arcam Ecclesiæ vitiorum fit extinctio, per arcam gratiæ virtutum reparatio, per arcam sapientiæ summi boni delectatio. Fit enim in Ecclesia peccatorum confessio, in confessione remissio & vitiorum extinctio. Sic enim facta est inter Deum & homines reconciliatio. Deinde datâ veniâ, subsequitur gratiâ, virtutum fit insertio. Hanc sequitur justitiæ perfectio. Huic autem succedit arcanorum cœlestium contemplatio. In hac autem invenitur quædam cœlestis suavitas; & intima etiam dulcedo, & perfecta boni & perseverans dilectio. Triplex ergo est diluvium: unum iniquitatum, aliud adversitatum, tertium calamitatum: de primo per Naum dicitur, *Naum. 1. In diluvio præterente consummationem faciet*. Ac si diceretur: si diluvium vitiorum super hos cœperit abundare, nolite de illis desperare: quia super quos inundare permitto injustitiam, super illos faciam abundare gratiam. Hinc dicitur per Prophetam *Hier. 31. In charitate perpetuâ dilexi te, idè attraxi te miserans*. Diluvium ergo prius veniet, & Dominus tunc consummationem faciet, quia Dominus electos suos innumeris lapsibus, & vitiorum incurfibus permittit ad tempus affligi & humiliari, omnem removens præsumptionis elationem. Postea ab eo incipiunt sublimari; sic in eis nutriens perfectam dilectionem. Hinc est illud Propheticum *Mich. 4. Venies usque Babilonem, & ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manibus inimicorum tuorum*. Et illud *Esaïæ Esa. 54. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te*. Consummationem ergo Deus faciet præeunte diluvio, quia de profundo vitiorum Deus suos viriliter erigit, quos ponit in virtutum culmine, & illustrat contemplationis radio.

De secundo dicitur in Cantico canticorum. *Cant. 8. Aqua multe non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Hinc per psalmistam, de his qui adversitatibus franguntur,
&

& tentationibus succumbunt, dicitur *Psal. 31. In diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* De hoc quoque diluvio Deus suos eripit, juxta illud Apostoli. *Act. 14. Per multas tribulationes oportet et nos introire in regnum Dei.* Item *1. Cor. 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut sustinere possitis.* Et in *Ozee. Ose. 6. In tribulatione sua manè consurgent ad me.* Et *Psalmodographus Psalm. 35. Multa tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* De tertio dicitur in *Iob 27. Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte cum opprimet tempestas.* Primum igitur diluvium est vitiorum, deinde diluvium tribulationum; deinceps diluvium miseriæ & tenebrarum: primum est peccati, secundum mundi, tertium inferni. Pisces primi sunt oblectamenta, secundi iniqua tentamenta, tertij perpetua tormenta. Hinc in Evangelio de bonis piscantibus, vitia calcantibus, tentamenta superantibus, æterna tormenta vitantibus dicitur. *Matth. 13. Elegerunt bonos in vasis suis: malos autem foras miserunt.* Arce verò gratiæ gratias referimus, quia per eam, scilicet Mariam & ejus filium utrumque diluvium evasimus.

Arca quoque testamenti, typum tenet sanctæ Dei Genitricis. Illam fecit Bezeleel, *Exod. 36.* istam condidit Emmanuel. Bezeleel, Oliab in opere socium habuit, & Virgo quoque Virginum condita, præelecta, præservata, præparata & ornata per Spiritum sanctum & ejus omnipotentem Filium fuit. Bezeleel interpretatur umbra Dei: Oliab protectio mea. Prior ille Spiritus sanctus, iste verò tenet typum filij. De illo dicitur ad Mariam in conceptione Filij beatissimi *Luc. 1. Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Item ad Ioseph *Matth. 1. Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim ex ea natum est, de Spiritu sancto est.* Iste verò ad patrem clamat in psalmo *Psal. 16. Protege me à facie impiorum qui me afflixerunt.* Item de eodem *Psal. 21. De ventre matris meæ tu es protector meus.* Item *Psal. 70. Tanquam prodigium factus*

sum multis. & tu adjutor fortis. Bezeleel ergo cum socio arcam testamenti fabricavit, sancta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificavit, ac templum sanctissimum consecravit, hospitium quoque mundissimum sibi præparavit, thalamum quoque, de quo sponsus præ filiis hominum speciosus ad publicum procederet, decenter præornavit. Neque enim Pater abesse potuit, ubi Spiritum & Filium cooperari voluit. Quæcunque enim Pater facit, hæc eadem similiter & Filius facit. Neque enim Filius potest à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. *Ioan. 5. De Spiritu quoque legitur in libro Psalmorum Psal. 32. Verbo Domini cæli firmati sunt. & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Apostolus quoque de tribus personis ita *Rom. 11. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsa gloria.* Pater ergo in consecratione Virginis exhibuit claritatem, Filius humilitatem, Spiritus sanctus charitatem. Pater lumen exhibuit rationis, Filius cinerem humiliationis, Spiritus sanctus oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, Filius sapientiam, Spiritus sanctus omnium virtutum gratiam. Pater auctoritatem contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus sanctus charitatem erga Deum & proximum. Filius carnis mortificationem, Spiritus sanctus compunctionem, Pater cœlestium contemplationem. Filius docuit eam divina operari, Spiritus sanctus amare, & amarum, Pater cœlestia contemplari. Filius eam erudit, & Spiritus eam provehit, Pater eam perficit. Filius eam purificat, Spiritus eam pacificat, Pater eam honorificat. Hæc dicens opera, vel dona Trinitatis non divido, sed fideliter inseparabilia assero. Sicut enim in essentia unitas, ita in operatione identitas.

Arca verò testamenti de lignis Sethim facta est; & Maria de spinoso & hispido Iudæorum populo & arido procreata est, qui utique spinosus detractio, hispidus superstitione, aridus fuit unctione divinæ gratiæ. Unde spinosus spineam coronam regi

regi suo exhibuit, & in eum sicut ignis in spinis exarsit. Sethim enim interpretatur spinæ. Aliter Eva spina, rosa Maria. Revera Eva spina fuit, quæ & virum suum ad mortem pupugit, & posteritati suæ peccati aculeum infixit. Unde Apostolus *Rom. 5. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & sic in omnes pertransiit.* Ligna verò sancti Patres fuerunt, qui licet in radice aruissent arboris, spem tamen certissimam habentes in adventu Salvatoris, tanquam peregrini & incolæ in hoc mundo habitabant, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes *1. Cor. 6.* Castigabant cum vitijs & concupiscentiis corpora sua, euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. *Psal. 125.* Unde quidem ita: *Conversus sum, inquit Psal. 31. in arumna mea, dum configitur spina.* Ad commendationem verò gratiæ suæ, & ad destructionem humanæ sapientiæ, Deus de femina, sed Virgine descendente de spinosa Patrum origine, dignatus est carnem assumere, ut similem simili redderet, contrarium contrario curaret, pestiferam spinam evelleret, peccati chirographum potentissimè deleteret. Humilitas per sexum femineum commendatur, gloria Virginis & Majestas opitulatur, peccatum gratiâ ejicitur. Eva ergo spina fuit; Maria rosa exstitit: Eva spina vulnerando; Maria rosa omnium affectus mulcendo. Eva spina omnibus infigans mortem: Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem. De liquore spinei corticis fit encastum, unde scribitur, de carnali mente tuâ fluxus nascitur concupiscentiæ, qui in ipsa, & in Adam peccatum actuale, in posteris originale transfudit. De hac verò Apostolus ita clamat *2. Corinth. 3. Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Ac si diceret *2. Corinth. 15. Per unum hominem mors. & per unum hominem resurrectio mortuorum: sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Maria autem rosa fuit candida per virginitatem: rubicunda per charitatem: candida carne, rubicunda mente:

candida virtutem sectando, rubicunda vitia calcando: candida affectum purificando, rubicunda actum carnalem mortificando. candida Deum diligendo, rubicunda proximo compatiendo.

De lignis verò Sethim condita est arca, in qua thuribulum, manna & virga sunt recondita *Exod. 25.* quia licet Maria de Patrum naturâ per peccatum vitiata, duceret originem, præelecta tamen per Spiritum sanctum & præservata ad purum, Deum nobis obtulit & hominem. Thuribulum sacrosanctum, carnem significat Salvatoris: quæ aurea dicitur, quia nullius passa est detrimentum pudoris, Agnus scilicet sine macula, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus *1. Pet. 2.* de quo per propheticum dicitur eloquium *Esa. 43.* *Ecce puer meus electus, posui super eum spiritum meum.* Carbones thuribuli, sunt opera Iesu Christi. Carbones isti aliquando mortui, quandoq; vero sunt ignei, quia in Salvatore nostro nunc propria tolerabat humanitas, nunc propria faciebat divinitas. Ignis in carbone, divinitas est innocens in opere. Ignis in prunis, evidens est iudicium divinitatis. Carbo mortuus in præsepe jacens. Igneus dæmonia expellens. Mortuus, in Ægyptum fugiēs: igneus, vendentes & euentes columbas de templo ejiciens. Mortuus, dormines in navi: igneus, imperans ventis, & mari. Mortuus, subditus Parentibus: igneus, quatuor satians hominum millia de septem panibus. Mortuus, ad puteum Iacob rogans potum: igneus, circa Hierico illuminans cæcum & sanans leprosum. Carbo erat mortuus dum à diabolo tentaretur. Igneus, dum ei ab Angelis ministraretur. Mortuus in prodicione discipuli: igneus in filio Reguli. Sopitus ante Præsidem: igneus circa Tyberiadem. Sopitus dum ei Herodes illuderet: igneus dum mortuorum suscitator magnificus fieret. Sopitus dum ei acetum cum felle mixtum propinaretur: igneus dum ab eo decem leprosi mundarentur. Sopitus dum à Judæis se absconderet. Sopitus dum

dum cum publicanis & peccatoribus ederet: igneus dum ambularet super undas: igneus dum ex aqua facto vino lætificaret convivas. Sopitus jacens in cunabulis: igneus fulgens in miraculis. Sopitus ante tribunal Præsidis: igneus in filia Chananitidis. Sopitus in cruce: igneus in monte. Prunæ ergo mortuæ erant humanitatis opera: ignitæ divinitatis miracula.

SERMO I.

In Antiphon. SALVE REGINA.

Tom. 5. pagin. 288.

Salve Regina misericordia, vita, dulcedo, & spes nostra salve. Domina labia mea aperies. Dominus tecum, & tu mecum. Dignare me laudare te. Sub tuam protectionem confugio, ubi virtutem acceperunt infirmi. Esto mihi turris fortitudinis à facie inimici. Te nostra vox primùm sonet. Et ora solvamus tibi. Dulce canticum ac nobilissimum melos, quod in honorem sanctæ Mariæ quater in anno ordo noster devotissimè concinit, ad ædificationem nostram discutiendam, Fratres, assumpsimus, quia speciali dulcedine multa refertum masticatione continuâ reperimus. Nam à summis labiis canticum istud effusum venit. Habet enim fundamentum. Fundamentum ejus in montibus sanctis. Fundamentum ejus internæ dulcedinis suavitas est. Et ibi hæc, nisi in montibus sanctis: hoc est enim in mētibus nostris. A Sanctis compositum, à Sanctis institutum, dignè frequentabitur etiam à Sanctis. Et verè nisi à religiosis, & affectione sanctâ ferventibus, nec subtiliter intelligi, nec efficaciter poterit decantari. Est enim tam suave ad gratiam, tam fœcundum ad sensum, tam etiam profundum ad mysteria. Tale enim est quod à nobis considerari & discuti, prout dignum est, non valeat. Ex eo autem quod suaviter sonat, mulcet affectum, & de sensuum
uber

ubertate mentem impinguat, & in sanctam Sanctorum Advocatam scilicet nostram, dum eam quasi presentem salutatur, omnia interiora nostra medullitè inflammat. Oportet enim ut nobis presentem esse dicamus, quam presentem salutamus: & totam animam nostram Trinitatem in eam dirigamus, quam tam devotissimis precibus exoramus. Agnoscit certè & diligit diligentes se, & propè est in veritate invocantibus se: præsertim his quos videt sibi conformes factos in castitate & humilitate: si tamen charitatem adjecerint, & totam spem suam (post filium suum) in ea posuerint, & toto corde quæsierint orantes & frequenter dicentes: *Subveni Domina clamantibus ad te jugiter*. Non aspernatur affectum prædulcem, ingens desiderium, in undationem lacrymarum, assiduitatem precum quorumlibet, quamvis peccatorum: si tamen laverint à malitia cor, dissolverint colligationes impietatis, solverint fasciculos deprimentes, dimiserint qui fracti sunt, liberos, & omne onus diripuerint. Data est ei potestas in cælo & in terra, quæ posse potestas est, & in manibus ejus vita, & spiritus nostri, & oculi omnium Christianorum in eam sperant, & ipsa dat eis escam gratiæ (quæ plena est) in tempore oportuno.

Levemus ergo, Fratres, cor nostrum cum manibus ad eam, & appropinquemus ei passibus amoris immolantes ei hostiam laudis, reddentes ei vota nostra de die in diem, de hora in horam, dicentes assiduè: *Salve Regina misericordie*. Quis mihi dignè hujus carminis referabit Sacramentum? Quis mihi dignè explicet tam insolitæ salutationis exordium? Origo fontium & fluminum mare, virtutum auctrix, & scientiarum scientia sanctarum Maria: quia sicut sol universa cæli lumina præcellit prærogativâ claritatis eximiæ, sic ipsa totam rationalem creaturam (post Filium) præcellit splendore virtutis ac scientiæ. Ad eam non incongruè pertinere dicimus, quod scriptum est; quàm bona Do-

na Do-

na Domina Israël his, qui recto sunt corde. Qui recto corde, & rectè in omnibus consentiunt, hi recto sunt corde, his Advocata nostra solâ bonitate suâ agente præsentia suâ tantam plerumque copiam exhibet, & quàm sit orabilis, exhibitione impertitæ gratiæ docet, ut innovati spiritû proclamant per consolationem experientiæ *Salve Regina misericordia*. In his intelligentia non capit, nisi quantum experientia sapit. Sola unctio Spiritus docet hæc. Plus valet hic júbilus cordis, quàm strepitus oris: motus gaudiorum, quàm sonus labiorum: consonantia voluntatum magis quàm vocum. Pro hujusmodi dicere cautum duxi, quis mihi carminis hujus referabit sacramentum? quis pro raro dici solet. Rara siquidem avis in terra tantam promereri familiaritatem in oculis majestatis, quatenus experientia indulta gratiæ, præsentiam illius agnoscens quis valeat exultans dicere: *Salve Regina misericordia*. Justè Regina mundi, & Regina cœli dicitur, per quam utriusque Creator & Rector generatur.

Verùm quo pacto dicitur *Regina misericordia*, cùm misericordia non substantia sit, sed pietas supernæ clementiæ, vel affectio benigna rationalis creaturæ? Metonymicè ergo poterit intelligi, hoc est per efficientem id quod efficitur: ut opus misericordiæ pro misericordia intelligatur. Opus misericordiæ, reparatio naturæ. Misericordia Domini plena est terra viventium & morientium, quod Angeli creati, quod confirmati, homines plasmati, & reparati, misericordiæ est, quæ ab æterno & usque in æternum primordialis ipsa causa omnium, & causalissima causarum. Effectus hujus est opus salvandorum, salus hæc, est adoptio filiorum Dei: quorum Regina Sancta Sanctorum, cujus virginalis partus eorum esse omnium. Regina, gloriæ nomen, & honoris, magnificentiæ & decoris, dulcedinis ac pietatis, amoris & honorificentæ, sublimitatis & potentiæ, gubernationis & justitiæ, defensionis & gratiæ. Sancta Sanctorum hæc omnia

S

nobis

nobis, & pro omnibus nobis, cui decantamus assidue: *Salve Regina misericordie*. Possumus etiam sic intelligere, quod *Regina misericordie* dicitur, ut soli tribuamus divinæ misericordiæ, & non meritis, quod super omnem creaturam ipsa sanctitate ac dignitate præcellens, Regina vocabulo & honore sublimatur amplius, & jam in hoc convenienter vocatur *Regina misericordie*, quod divinæ pietatis abyssum cui vult, & quando vult, ac quomodo vult, creditur aperire, ut quivis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum Patrocinij sui suffragia præstat. Ea propter dicamus omnes, dicamus singuli, dicamus assidue: *Salve Regina misericordie*. Sequitur:

Vita, dulcedo, & spes nostra salve. Ordo pulcherrimus: dulcedinem vita præcedit, spes sequitur. Non enim sapis nisi vivas, nec sperabis nisi vivas & sapias. Et sapor sedes est dulcedini, gustus sapor. Brevitati studendum statuiimus, & ideò de vario vitæ statu dicere super sedemus. De illa vita hoc in loco dictum esse credimus, de qua Joannis Evangelium loquitur *Ioan. 6. Qui manducat me, & ipse vivet propter me*. Quidni vivat, qui vitam manducat? *Ego sum*, inquit, *Ioan. 14. vita*. Et, *beatus qui manducat panem hunc in regno Dei Luc. 14. quod intus est*. Regnum Dei charitas, gaudium, pax & vita, & panis & charitas, unum sunt. Magnæ delitiæ charitas, quæ foras mittit timorem. Qui manet in hac, & manducat eam, & manducatur ab ipsa. Ipsa est quæ pascit inter lilia, pascit & pascitur, & nos, & à nobis. Quomodo, inquis? Si diligit Deus nos, in se trajicit nos, & e converso. Cibus iste charitas Dei, & Deus virtutum & scientiarum fons, vitam præstat animæ, quæ nunc est, & futuram. Et hæc nobis Sancta Sanctorum metonymicè, scilicet quæ & vitam hanc nobis peperit & precibus infundit. Hæc est de qua dicit Apostolus *Philip. 1. Mihi vivere Christus est, & vivit in me Christus*. De hac in Deuteronomio *Deut. 28. circumcissione carnali: Et erit vita tua pen-*
dens

dens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ. Vita hæc dat dulcedinem, sed se ipsam de se ipsa: *Si inveni gratiam in oculis tuis* (ait Moyses) ad plenitudinem gratiæ *ostende mihi te ipsum.* Et econtrà, *Exod. 33. Ego omne bonum ostendam tibi.* Unum petiit, & re-promissa est omnimoda plenitudo. Quid tam diversum, quàm unum & omnia? Sono diversum, re unum: diversum pronuntiatione, unum identitate.

Deus ergo omne bonum, & summum bonum: etiam dulcedo, & dulcedinis genus generalissimum. *Qui edunt me, adhuc esurient Eccl. 24.* inquit: *& qui bibunt me, adhuc sitient.* Quare? Quia bonus & dulcis Bonus Deus Israël rectis corde, sed & dulcis & rectus. Nec bonitas nec justitia sine rectitudine. Qui bibit de illa, sitiet iterum: de ista qui biberit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Siquidem apud ipsum fons vitæ, & ipse fons vitæ: etiam fluminis impetus qui lætificat civitatem Dei. Esto civitas Dei, & lætificabit te impetus hic. Parat enim in dulcedine sua pauperi Deus. Fructus enim dulcis gutturi, & guttur ejus suavissimum, ineffabilia omnia. Hic calculus est, quem nemo scit, nisi qui accipit. Sunt enim in illa internæ festivitatis gaudia, quæ quotidie mentibus nostris per inspirationem amoris imprimit interna & æterna dulcedo. *Nota,* inquit, *feci vobis omnia, quacunque audivi à Patre, Ioan. 15.* Et ad Moysen: *Omne bonum ostendam tibi, Exod. 33.* Omnia quæ audivit à Patre, & quæ promittit Moyse, unus denarius est, qui promittitur laborantibus in vinea, *Matt. 20.* & una illa quam petiit David, *psal. 26.* & unum illud quod necessarium est, *Luc. 10.* mel est quod fugit Israël de petra, & oleum de saxo durissimo, *Deutr. 32.* gaudium est, quod nemo tollit, *Ioan. 16.* osculum est, de quo scriptum est *Cant. 1. Osculetur me osculo oris sui.* Internæ suavitatis gustus ac dulcedo est, & manna absconditum, & thesaurus absconditus in agro, cui comparatum omne dulce, amarum: omne decorum,

foedum: omne jucundum, triste: omne pretiosum, vile: foedum omne quod desiderabile est in oculis amatorum mundi fluentis. Nam pretiosam margaritam datis omnibus terrenarum rerum delectamentis Sancta Sanctorum comparavit, & nobis in Filio suo preparavit, & preparat semper interventu suo nobis orantibus oleum effusum dulcedinis hujus. Non erit abs re, sed valde optimum, si ipsam Reginam misericordiae vitam & dulcedinem nostram dicamus, qui minùs experti adhuc vitae huius ac dulcedinis sumus, sed per ipsam speramus nos posse consequi, quicquid totius bonitatis factor dignatus fuerit gratiae nobis impertiri.

Sequitur: *Spes nostra salve*, spes est in virtute, quasi scintillatio in fomite. Sine fomite durare non potest scintillatio. Subtrahere fomitem, interit, emoritur. Subministra, vivet. Haud secùs spes ruit sine fundamento, sine pabulo moritur, inedia deficit, extinguitur sine nutrimento, arescit succisa radice. Spes enim sine vita virtutum, & devotionis dulcedine non est spes, sed praesumptio. Inter timorem & securitatem spes media est: & est spes incerti nomen boni. Vita & dulcedo exterminant faciem timoris, securitati dant fortitudinem, dant decorem. Ea propter dicit Deo, *Psal. 4. Singulariter in spe constituisti me. Et, in pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Est enim fulcita floribus, & stipata malis charitas illius, quae foràs mittit timorem, & dicit, *Cant. 2. Laeva ejus sub capite meo: & dextera ejus amplexabitur me.* Laeva, comminatio supplicij: dextera, promissio regni. Inter has spes cubat in molli strato charitatis, vita & dulcedo sternunt hoc, & hoc est medium illud in ferculo Salomonis, de quo scriptura ait *Cant. 3. Mediâ autem charitate constravit.* Vides nunc sublimitatem carminis hujus. Primò ponit vitam, quae est in integritate virtutum: secundò dulcedinem spiritualium gaudiorum: deindè spem infert aeternorum. Omnia hæc Regina misericordiae,

fericordiae, Domina mundi, Regina cœlorum contulit mundo, Virgo virginum, Sancta Sanctorum, Lumen cœcorum, justorum gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatio, deficientium fortitudo, salus orbis, speculum totius integritatis: ipsa intercedat pro peccatis nostris: præstante Domino Filio ejus, & unico, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum, Amen.

SERMO II.

In Antiphon. SALVE REGINA.

Tom. 5. pagin. 290.

*Si lingua centum resonarent, oraque centum,
Ferre vox mihi, nil Maria, tibi dicere dignum
Possum stella maris, quæ Virgo beata vocaris.*

O Quàm te memorem Virgo, quibus laudibus efferam? Infandissima lingua mea, quæ coinquinata est cum mortuis, incircumcisa labiis, nec purgata igne altaris: inquietum malum, habens in naribus spiritum, rimis effluens undique, quid dignum laudis laudibus tuis poterit immolare? Elevata est magnificentia tua super cœlos, & super omnem terram gloria tua: ita ut nec in cœlo inveniatur creatura, quæ tuam dignè laudare queat magnificentiam: nec in terra sit, quæ gloriam tuam exprimere valeat. Nemo enim nec in cœlo nec in terra inventus est dignus aperire librum prærogatiyarum tuarum, & dignè solve-
re septem signacula ejus. Plenitudinem gratiæ, adventum Spiritus sancti in te; virtutis Altissimi obumbrationem; Verbi conceptionem, quod sine gravamine gravida, sine dolore puerpera, Virgo pariter & fœcunda, quis enarrabit? Viri divitiarum multi, de civitate Domini virtutum miserunt manus suas ad hæc fortia, & tamen altitudinem divitiarum harum ad liquidum

comprehendere non potuerunt, quia investigabiles viæ istæ, & inscrutabilia uniuersa. Conati sunt, & non datum est ultra. Dum adhuc ordirentur, succisi sunt. Quis enim loquetur potentias has Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Etsi dignè nullus, quisque tamen pro viribus. Pro se quisque viri summâ certabat opum vi, ut ait quis. Denique currebant omnes in odore unguentorum tuorum. Trahe & nos post te, ô Sancta Sanctorum, & ostende lumen miserationum tuarum. Sub umbra alarum tuarum nos protege.

Ad te enim clamamus exules filij Eue. Secunda carminis hujus, quod explanandum assumpsimus, incisio hæc est, quod in modum dramatis nobis videtur esse compositum. Varius enim diversarum personarum affectus hîc loquitur: hîc perfectorum & adhuc meliùs proficientium status invenitur. Vita siquidem quæ animatur integritate virtutis, suauitas internæ dulcedinis, sanctæque spei tanta præsumptio, quid nisi fructus Spiritus sunt, & attractiones virtutis? Emeritorum militum donativa sunt hæc, & diurni certaminis merces accumulata. At deploratio exilij, Patriæ desiderium, originalis peccati pœnalis punctio, incipientium seu proficientium indicia sunt. Puta vitæ hujus vitæ exilium, fucum vanitatis: patriam, solidum veritatis. Fucus vanitatis, nitor gloriæ temporalis: solidum veritatis, immobilis cognitio æternitatis. Fucus vanitatis, splendor aridens creaturæ visibilis: solidum veritatis, inextinguibile lumen internæ dulcedinis. De hac patria quidam Sapiens ait: ô veritas exulum patria, exilij finis: video te sed intrare non sinor, indignus admitti, peccatis sordens. Quousque adoramus & non gustamus, proficientes ad Patriam & non apprehendentes, suspirantes, & de longè salutantes?

Primus itaque homo ad hoc conditus fuerat, ut si non peccasset, per contemplationis præsentiam vultui Creatoris semper adfiste-

adisteret, & solidum veritatis agnosceret, agnitum amaret, amatum teneret, tenendo fruereur, semperque ei adhaerendo qui immortalis est, etiam vitam ipse sine termino possideret. Verum enim & summum bonum hominis, plena videlicet, & perfecta agnitio Creatoris. Sed circumscriptus astutiâ serpentis, & deceptus fucio vanitatis; specie videlicet creaturæ visibilis, ab Hierusalem in Hierico descendit, fontem veritatis deseruit, affectum pulchritudini rerum inclinavit: & statim ignorantiae cœcitate percussus foras venit, & ab intima luce contemplationis factus est vagus, & profugus super terram. Vagus scilicet per inordinatam concupiscentiam, profugus per peccatricem conscientiam; quia mentem, quam divinum auxilium deserit, quæcunque tentatio impetierit subvertit. Cor ergo hominis quod prius divino amori affixum stabile persistit, & unum amando, unum permanit: postquam per desideria terrena defluere cœperit, quasi tot sibi in exilio mansiones statuit, quot sibi in eo delectationes invenit. Sicque fit ut mens quæ pulchritudinem, dulcedinem, pacem, securitatem, ac perpetuitatem primæ lucis amare nescit, nunquã valeat esse stabilis: quia gaudium permanens in his, quæ in fucio vanitatis amplectitur, non inveniens, dum se semper desiderio extendit, sequens quod assequi non valet, fluctuans in exilio nunquam requiescit. Modò valvis oculorum elapsa, curiosos intuitus pascit, & rerum immensitatem in massa & mole considerat: modò rerum pulchritudinem in situ & motu, specie & qualitate investigat: modò rerum utilitatem per necessaria, commoda, apta, & grata, pertentat. Nunc quoque naribus erumpit, & per olfactum odoris varij suavia oblectamenta requirit. His pasta, aurium per organa procedit, & dulce melos, harmonicæ, organicæ, Arithmeticæ disciplinæ capta per auditum introrsus trahit. Tactu quoque subtilia, levia, & lenia palpando discutit, & in aula memoriæ palpan-

pando desiderata reponit. Nec minùs gustu faucium prælibat varietatem saporum. Hos hædos suos mens, quæ se ignorat, & Deum, pascit juxta tabernaculum pastorum per res temporum, & temporalium vanitatum, mendicans ex ea quæ petierit, figura hujus mundi, unde suam famelicam curiositatē aliquatenus consoletur. Comparata est enim jumentis insipientibus, & similis facta est illis: quia cum in honore esset, non intellexit quòd limus esset, honoris fastigio delectata. Hinc nascitur in exilio vanitatis motus sine stabilitate, labor sine requie, cursus sine perventione, ita ut semper inquietum sit cor, donec ad patriam veritatis redire cœperit: egens & de siliquis porcorum satiari desiderans, quousque ad Patris domum suspiraverit, ubi mercenarius abundat panibus, & omnes domestici vestiti sunt duplicibus.

De hoc exilio, ô Sancta Sanctorum, *ad te clamamus exules filij Evæ*, ut interventu tuo, ducatu tuo, adjutorio tuo possimus ad cubiculū veritatis repatriare. Scimus procul dubio, quia nil ampliùs habet homo pro universo labore suo, quo laborat sub sole, nisi vanitatem: & tamen pravę consuetudinis nexibus irretiti per nos redire non possumus in veritatis libertatē. Non dicimus autem in hoc loco veritatem, cognitionem esse Dei & ejus quæ secundum pietatem est scientiæ: sed medium illud purum, & nudum, ac solidum, quod est in virtutis amore. Quamvis enim definiant auctores reparationem, hominis esse cognitionem veritatis, & amorem virtutis, perfecta tamen virtus non est sine cognitione veritatis, nec veritas sine amore virtutis. Vanus est, quia in vanitate est, aut in vanitate curiositatis, aut erroris. Vanitas curiositatis procedit à vanitate mutabilitatis, & generat vanitatem mortalitatis. Prima causa peccati; secunda peccatum; tertia pœna peccati. Prima est in his quæ propter homines facta sunt; secunda in his quæ ab hominibus facta sunt

sunt; tertia in his quæ in hominibus facta sunt. Alia est in conditis rebus, alia in mentibus, alia in corporibus. Vanitas erroris est in omnibus quæ fidei catholicæ, & sanæ doctrinæ contraria sunt, & religionis disciplinam in illo solido veritatis quod velle & nolle hominis, inter angustias parum & nimis coarctat, non contingunt. Vanitas hæc omnia sunt, quia se amplectentes decipiunt, & ad veritatem æternitatis non perducunt. In hoc exilio in omne pene genus hominum ab initio usque ad adventum Reginæ cælorum peregrinari delectabatur, & veritatis patriæ suspiriis nullis seu desiderio recordabatur. Ipsa prima viam aperuit ad patriam: & veritatem, quæ vera patria est, mundo generans dedit omnibus manifestam.

Ea propter & nos, ô Regina misericordiæ, *ad te clamamus exules filij Evæ.* Clamor est alius oris, alius cordis. Clamor oris alta vociferatio: clamor cordis valida & supplex ad Deum intentionis directio. Deus intus, homo foris. Ad eos qui foris sunt, clamor oris: ad Deum & qui cum eo intus sunt, clamor cordis. Intus ubi? In spiritu. Qualiter inquis? Duobus modis. Quibus? Cognitione & amore, revelatione ac devotione, acuto & calido. Modis his Deus cor inhabitat, non solus tamen. *Ubi enim fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquile, Matth. 24.* Ad quid? Ut renovetur sicut aquilæ juvenus cordis. Ibi & illa aquila grandis magnarum aliarum Sancta Sanctorum innocentia, & æquitas exaudit invocata, si clamoribus occultis assidue fuerit excitata. Et nos adhuc filij Evæ transgressores, filij inobedientiæ, filij matris antiquæ, ad te clamamus Regina misericordiæ. Revertere visitans in nobis naturam tuam: revertere ostendendo eam, quam in Christicolas habes charitatem tuam: revertere per singularem in nos à Deo datam potestatem tuam: revertere per eam, quæ tibi specialiter infusa est in plenitudine gratiæ prærogativam tuam, ut intueamur te, non talem, qualem de-

T

siderant.

siderant Angeli prospicere dicentes: *Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Sed intueamur te largientem beneficia, conferentem remedia, medentem contritis corde, ponentem fortitudinem lugentibus Sion, dantem coronam pro cinere, oleum pro luctu, pallium laudis pro Spiritu mœroris. Nec mediocris visio ista, piam te & deprecabilem experiri, mœrentiumque suspiria munere gratiæ consolari. Sonet hæc vox tua in auribus nostris. Vox hæc tua dulcis, & hæc facies tua decora. Nam in illo decore te videre, quo induit te Dominus fortitudinem, & præcinxit te, non est hujus temporis, nec temporis vitæ nostræ vitiorum fœtore sordentis. Stola immortalitatis te indutam videre Domina indigni sumus: ostende nobis faciem miserationum tuarum, & salvi erimus. Quod ipse nobis præstare dignetur, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum, Amen.

SERMO III.

In Antiphon. SALVE REGINA.

Tom. 5. pag. 291.

*In freta dum fluvij current, dum montibus umbra
Lustrabunt, connexa polus dum sidera pascet,
Semper honos nomenq. tuum laudesq. manebunt
Spes mea Virgopia, Virgo sacra. Virgo Maria.*

ET non amplius? Amplius multum, & per omnem modum. Nam in æternum & ultra non deficiet laus tua de ore hominum, etiam & Angelorum, *Psal. 8. Cæli enarrant gloriam tuam.* Et quæ major in omni gloria Dei, quàm ineffabilis plenitudo cæli? Et nos cum ipsa, id est, cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militia cœlestis exercitus, hymnum gloriæ Sanctæ Sanctorum canimus. Illi gloriam,
nos

nos hymnum gloriæ. Illi gloriam quam præsentem vident, in iubilo cordis invicem enarrant: nos hymnum tantummodo gloriæ, id est, memoriam eructamus abundantia suavitatis tuæ. *Et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Fiat, inquit, Gen. 1. firmamentum, & dividat aquas ab aquis.* Omnibus firmamentis firmius firmamentum tu Domina; quæ eum, quem cæli cælorum capere non poterant, cepisti & concepisti: portasti & non defecisti: genuisti, aluisti, pavisti, mammaſti & educaſti. Tu in medio aquarum diviſiſti aquas ab aquis, affectus videlicet æternorum ab affectibus temporalium. Tuam enim animam pertransiuit gladius, *ut reveletur ex multis cordibus cogitationes, Luc. 2.*

Posuit in hoc firmamento Deus solem & lunam, Christum & Ecclesiam, & stellas prærogativas gratiarum multas. Laudamus Dominum in sanctis ejus. Firmitas, robur, & constantia, & fortitudo mentis ejus, quia mundi contempſit gloriam, carnis calcavit illecebras. Virtus est Altissimi, de qua scriptum est *Luc. 1. Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Non solum autem cælum & firmamentum Domina rerum intelligitur, sed aliis nominibus convenienter appellatur, & rerum vocabulis designatur. Ipsa tabernaculum Dei, ipsa templum, ipsa domus, ipsa atrium, ipsa cubiculum, ipsa thalamus, ipsa sponsa, ipsa filia, ipsa arca diluvij, arca testamenti, urna aurea, ipsa manna, virga Aaron, vellus Gedeonis, porta Ezechielis, civitas Dei, ipsa cælum, ipsa terra, ipsa sol, ipsa luna & stella matutina, aurora ipsa & lucerna, tuba & mons, fons quoque hortorum, & lilium convallium. Desertum ipsa, & terra repromissionis lacte & melle manans, stella maris, navis quoque, via in mari, sarena, vinea, ager, arca, horreum, stabulum, præsepe, subjugale, apotheca, aula, turris, castra, acies, populus, regnum, sacerdotium. Ovis est, pascua est, paradus est, palma est, ros est, fluvius est, potus est, columba est, columna est, vestis est, margarita est, candela-

brum est, mensa est, corona est, sceptrum est, panis est, oleum est, vinum est, arbor est, virga est, cedrus est, cypressus est, plantanus est, cinamomum est, balsamum est, myrrha est, thus est, oliva est, nardus est, crocus est, fistula, calamus, & storax est, soror & mater est. Et ut breviter concludam, de hac & ob hanc, & propter hanc omnis scriptura facta est, propter hanc totus mundus factus est; & hæc gratiâ Dei plena est, & per hanc, homo redemptus est. Verbum Dei caro factum est, Deus humilis, & homo sublimis.

Ad te ergo tantam ac talem, Domina rerum, Sancta Sanctorum, Regina cœlorum *suspiramus gementes & stentes in hac lacrymarum valle*. Tertia hæc positura carminis hujus est quod explanandum assumpsimus. Suspiria, gemitus & fletus compunctionis; sunt species seminum justitiæ. *Seminate vobis*, inquit *Osee. 10. ad justitiam: metite spem vitæ, & illuminate vobis lumen scientiæ. Eunt*, inquit *Psal. 125. ibant & flebant, mittentes semina sua*. Suspirium, vox inarticulata, gementium gemitus, dolentium fletus, has sedes habent. Tria sunt hæc quæ benè gradiuntur in irriguo inferiori, & quartum quod feliciter incedit, vallis scilicet lacrymarum: Sedes irrigui superioris hæc est. Verus Caleph dat utrumque filiæ suæ a sella residenti, *Iosue. 15*. Et tu si aspiras ad hæc, comprime motus irrationabiles sensualitatis & corporis, motu rationis. Abscinde à te concupiscentiam carnis, oculorum, potestatis, & honoris. Abjice mundi pompam & sarcinam, edoma carnem, disciplina spiritus, in arctum tua desideria constringe, non abeas in consilio impiorum, in via peccatorum non stes, in cathedra pestilentiæ non sedes *psal. 1*. Apprehende humilitatem, ut sis pauper spiritu, ferales corrige mores, & esto mitis. Tunc transito Jordane ingredieris terram repromissionis, quæ est compunctionis. Sic in tertio loco octo beatitudinum dicitur *Matth. 5. Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur.*

Quarto

Quarto die resuscitatus est Lazarus: quartâ vigiliâ venit ad discipulos Iesus. Et tu fac tibi vigiliâs quatuor, ut resusciteris & veniat ad te Iesus: duas timoris, pudoris duas. Cogita Deum Creatorem tuum, cogita Benefactorem, cogita Patrem, cogita Dominum. Ad singula reus es, plange ad singula, ad singula e-vigila, & singulorum horum singuli intellectus, quasi singuli in mente dies sint, in quibus quasi Lazarus mortuus eras, quasi fætebas. Dum per singulos lacrymaris, quasi in quarto resuscitaris. Primum & ultimum extinguunt timorem: media duo pudorem. Pater sanè non metuitur, cùm pater sit: patris est semper misereri & parcere. Paterna vox est: *Deut. 32. Percutiam, & ego sanabo.* Non est proinde quod à patre formides. Si quando ferit, emendat, non vindicat. At cogitantem quòd patrem offenderis, est certè quòd pudeat, & si non quòd terreat. Voluntariè te genuit verbo veritatis, *Jacob. 1.* deinde non pepercit Unigenito *Joan. 3.* ut profit genito. Ipse quidem Patrem ita exhibuit se tibi, sed non tu illi æquè filium. Quâ fronte attollis jam oculos ad vultum Patris tam boni, tam malus filius? Pudeat indignè gessisse generi tuo: pudeat tanto Patri vixisse degenerem. Exitus aquarum deducant oculi tui, operiat confusio faciem tuam. Vultum tuum pudor suffundat, occupetque caligo: deficiat in dolore vita tua, & anni tui in gemitibus. Proh dolor, quem fructum habuisti in illis, in quibus nunc erubescis? Si in carne seminasti, de carne messuisti corruptionem. Si mundus ipse transit, & concupiscentia ejus, confundere ad illam vocem quæ dicit *Mal. 1. Si ego pater, ubi honor meus?* Hoc de honore patris. Nunc ad beneficia veniendum. Ut alia innumera taceam, hujus corporis victum, & temporis usum hujus; & super omnia sanguinem dilecti Filij sui clamantem de terra; pudeat ingratitude. Quid retribuisti Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi?

Ad timorem quoque veniamus: Si pudor minus partes suas exequitur, excitetur ut excitet. Sepone pia vocabula benefactoris & patris, ad austeriora convertere. Nam qui legitur *2. Cor. 1. Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*: legitur Psalm. 93. nihilominus, *Deus ultionum Dominus*: & legitur psalm 65. *terribilis in consiliis super filios hominum*. Quod Pater est, quod beneficus est, tibi est: quod Dominus ac Creator, sibi est. Etenim *propter semetipsum fecit omnia*, *Proverb. 16*. Quia ergo quod tuum est, tibi defendit & servat; putas principatus sui non requirit honorem? Requirit usque ad novissimum quadrantem; requirit & retribuet abundanter facientibus superbiam. Requirit à redempto servitium; honorem & gloriam ab eo, quem plasmavit. Esto quòd dissimulet, & pater ignoscat beneficus, sed non Dominus & Creator. Pensa cujus sit formidinis & horroris, tuum atque omnium contempsisse factorem, contempsisse Dominum majestatis. Tangit montes & fumigabunt, *psal. 103*. Et tam tremendam majestatem audet irritare vilis pulvis, uno levi flatu dispergendus, & minimè colligendus? Time gehennam, time iudicis vultum. Contremisce ab ira potentis, à facie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempestate valida, à voce Archangeli, & à verbo aspero Contremisce à dentibus bestiae infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad etnam. Time vermem rodentem, ignem torrentem, fumum & vaporem, & sulphur & spiritum procellarum: time tenebras exteriores & dicito *Hie. 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum; & præveniam fletibus fletus, & stridores dentium & manuum, pedumque dura vincula, & pondus catenarum prementium, stringentium, utentium, nec consumentium? Heu mater mea, cur me genuisti filium doloris & amaritudinis, indignationis & plorationis?*

Qui

Qui sic afficitur duplici metu isto & duplici pudore, quatuor vigilias facit in mente, seu quatuor diebus intus illustratur, in quorum quarto quasi Lazarus quatruiduanus resuscitatur. Et sicut de uno fonte paradisi oriuntur quatuor flumina, quæ irrigant terram, *Gen. 2.* Sic quatuor affectiones istæ ortæ de uno fonte compunctionis plenitudinem consumunt irrigui inferioris. Pariunt enim suspiria, gemitus & fletus, quæ dum pro defectu virtutum aguntur, dicuntur irriguum inferius. Superius autem irriguum, est vallis lachrymarum. Pinguis infusio hæc cœlitus irrorata, nec extorta, nec coactitia, pluvia voluntaria est, quam segregavit Deus hæreditati suæ *psal. 67.* Aquæ istæ sunt, quæ egrediuntur de templo à latere dextro, *Ezech. 47.* & fluunt impetu de Libano *Cant. 4.* fluunt etiam de fonte paradisi, divisi in quatuor capita. Paradisus conscientia iusti est, quam non urit cura pungens, nec culpa remordens: quam non attenuat sensus egens, quam non grandinant corporearum rerum irruentia phantasmata, fide florida, virtutibus fructifera, opinione odorifera. Hujus de medio fons oritur, dum virtus integritate solidatur. Hæc deinde dividitur in quatuor capita, justitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam. Justitia fodit in altum, & quærit aquas irrigui superioris, prudentia invenit, fortitudo vindicat sibi; temperantia possidet. *Justitiam* dico esse genus ad omnia præcepta Dei: *Prudentiam* divinarum, humanarumque rerum scientiam: *Fortitudinem* vigorem mentis inter adversa & prospera erectum: *Temperantiam* inter velle & nolle, nosse parum & nimis, citra & ultra discretionem. Legitimè hæc custodita perfectum faciunt virum, cupientem dissolvi, & esse cum Christo, qui dicat *Psal. 119.* *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est:* & *Psal. 41.* *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* Fons iste fons patens est domui David in ablutionem peccatoris & menstruatæ, *Zach. 13.* Hic est fons quem foderunt principes multitudinis,

quos

quos commemoravimus, justitia scilicet, fortitudo, & temperantia in datore legis, id est compunctione: & in baculis suis, id est in vigore solido perfectæ integritatis.

Mens itaque à vitiis purgata, Deum sitiens jugiter, & ipsius adventum in se suscipiens, frequenter delectata tantæ suavitatis inenarrabili dulcedine, quia pro velle suo semper eam habere minimè valet, miro dolore afficitur, & hæc ei consolatio, ut præ ejus desiderio jugi lachrymarum pane pascatur. Fit itaque vallis lachrymarum, dum se humiliter sentiens, affatim abundat uberrate fletuum. Et habet hoc irriguum superius, quo mortua mundo suaviter & dulciter pascitur, quia per irriguum inferius emundata jam cœlestium contemplatione ineffabiliter delectatur. Hæc duo irrigua, duæ olivæ sunt, & duo candelabra lucentia ante Deum. Sunt hæc duo luminaria, duo altaria, duo exploratores, duo cherubim, duo ostiola, duo ubera: testamenta duo, hirci duo, leones duo, minuta duo, tabulæ duæ, columnæ duæ, sorores duæ, manus duæ, & si qua sint binaria, quæ his consonantia opinionaliter queant inveniri. In talibus suspiriis, gemitu ac fletu, ac conyalle lachrymarum *ad te clamamus exules filij Evæ: Domina rerum, Sancta Sanctorum, virtus nostra & refugium: decus mundi, gloria cœli: præelecta ut sol, pulchra lunaris ut fulgor, agnosce omnes te diligentes. Audi nos: nam te Filius nihil negans honorat. Et tu salva nos Domine Iesu, pro quibus Virgo Mater te orat, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum, Amen.*

SERMO IV.

In Antiphon. SALVE REGINA,

Tom. 5. pagin. 292.

Antè pererratis amborum finibus exul,

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,

Quam

*Quàm tuus è nostro labatur pectore vultus,
Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis.*

OMnino necessariè vultum quidem tuum deprecabuntur omnes divites plebis, quanto magis pauperes plebis? Et si pauperes plebis, multò magis egenus & pauper, opprobrium hominum & abjectio plebis. Tibi dixit cor meum, quæsi vi vultum tuum. Vultum tuum Domina requiram, ne avertas faciem tuam à me, ne declines in ira à servo tuo. Ostende faciem tuam, sonet vox tua in auribus nostris, quia vox tua dulcis, & facies tua decora. Vocem tuam audivimus quater in Evangelio, ò Domina rerum. Primò ad Angelum, secundò ad Elizabeth, terriò ad Filium, *Fili quid fecisti nobis sic, Luc. 2.* quartò item ad Filiù, *Vinum non habent, Ioan. 2.* Quam harum inquirimus? Illam utique, *Vinum non habent.* Necessaria nobis hæc est. Defecit vinum in cadis nostris, vinum scilicet lætificans cor hominis, *Psal. 103.* non causamur de vino in quo est luxuria, *Eph. 5.* illud quærimus de quo Propheta, *Zach. 9.* quod germinat virgines; harum pincer-na tu, vexillifera tu. Vexilla Regis prodeunt in nobis, te agente pro nobis. Calix in manu tua vini meri. In manu tua, in potestate tua; vini meri, amoris divini. Dic Domina rerum, dic pro nobis Filio tuo, *vinum non habent.* Calix hujus vini inebrians, quàm præclarus est. Inebriat, calefacit, acuit, audaces facit & fortes, obliviosos, discretos, somnolentos. Inebriat amor Dei ad contemptum mundi: calefacit, quia ferventes facit: acuit, quia erudit: facit audaces contra adversa, & fortes à carne, mundo, & dæmonibus invincibiles; obliviosos eorum scilicet qui retrò sunt, & in futura extentos; discretos erudiens ad justitiam; somnolentos ad temporalia, & tardiosos; & ad invincibilia contemplanda pronos & promptos.

Hoc vinum lætificat cor hominis. Hoc à te, & per te speramus, non solum vinum, sed & panem. Panis enim cor homi-

V

nis

nis confirmat, *Psal. 103. Panis ille de quo Scriptura Psal. 77. Panem Angelorum manducavit homo.* Panis ipse Filij tui dulcis memoria, præsentia ipsius plena tu. Et mensa propositionis duodecim panum, numerum duodenarij dedicans. Duodecim panes, duodecim sunt prærogativæ gratiarum, in quibus gratia repleta es, & Dominus tecum. Porro ne de corde meo videar prophettare, tuas has prærogativas Paulus Apostolus, & nominat pariter & enumerat dicens *Gal. 5. Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, benignitas, mansuetudo, fortitudo, misericordia, continentia, castitas.* Panes certè admodum splendidi, sapidique. Splendidi, in sua natura: sapidi, in animorum experientia. Denique summæ spirituales delitiæ hæ sunt. Plus quippe his confirmatur & delectatur animus, quam ullis carnalibus delitijs corpus. Neque verò proveniunt homini à se ipso, immò fructus sunt Spiritus sancti. Proindè Virgo beata postquam nuntius cælestis te prædictâ gratiarum prærogativâ perhibuit plenam, mox gratiarum causam subjungens: inquit, *Luc. 1. Dominus tecum.* Dominus autem Spiritus est. Spiritus ergo sanctus magnificavit facere tecum. Magnificavit, inquam, facere in te duo opera sua. Vnum erat, dum dignam te fecit, quæ Dei Filium concipere posses & parere: alterum quando ex tua carne sancta ac digna carnem Filij Dei formavit. Fecit proindè te magnam & castam. Magnam planè fecit ut immensum caperes: castam quatenus dignè contineres. Magnam te fecit humilitate, castam virginitate.

Itaque tu sancta; tu es castellum in quod Iesus intravit, habens turrim humilitatis: qui enim se humiliat, exaltatur: & murum virginitatis, Murum certè fortissimum, quippe qui nec ante partum, nec in partu, nec post partum potuit violari. Lapidis muri disciplina tua fuerunt & continentia, sine quibus nunquam constans est virginitatis murus. In te duæ sorores fuerunt
 Maria

Maria & Martha, quæ Dominum susceperunt, *Matth. 10.* Maria fuit intelligentia tua specialis, qua Deum & Dei Filium esse intellexisti quæ genuisti. At verò Martha rationalis erat prudentia; qua ei in Domino Filioque tuo in carne servisti. Tu ergo Domina nasus es speciosus, ad quam dicit Sponsus, *Cant. 7.* *Nasus tuus sicut turris Libani quæ edificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Nasus duo habet foramina, per quæ spiritum à capite emittit. Ita tu Domina virginitate & humilitate tuâ de cælo eduxisti Filium Dei. *Spiritus oris nostri* (dicente Prophetâ *Thre. 4.*) *Christus Dominus.* Spiritus verò est Dominus Christus: quippe qui ut Spiritus oris nostri charitate calefacit, cupiditatem nostram refrigerat, ad bonam nos voluntatem movit, fide justificavit. Tu ergo nasus ecclesia similis es turri, celsâ videlicet dignitate, firma gravitate. Turris es Libani. Libanus mons qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus signat innocentiam tuam. Innocens fuisti ab originalibus, & ab actualibus peccatis. Nemo ita præter te.

Unde auctoritas Augustini: *Cum de peccatis agitur, nullam de beata Maria volumus fieri mentionem: & ex eo enim majorem credimus ei collatam virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatum.* Ex omni, inquit, parte: hoc est ex parte originalis, & ex parte actualis peccati. Ea ergo sola excepta; cæteri omnes quid dicere possunt, nisi quod ait Apostolus Ioannes, *1. Ioan. 1.* *Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est?* Ego quoque piâ fide opinor, in utero matris tuæ ab originalibus te absolutam peccatis: nec vana est fides, nec opinio falsa. Denique & rationes & auctoritates inveniuntur ista stipulantes. Et quidem ratio sic: si alij in utero matris fuerunt sanctificati, multò magis tu Mater Domini. Sed Hieremias *Hier. 1.* & Ioannes *Luc. 1.* alter sanctificatus, alter Spiritu sancto

repletus in utero matris leguntur. Ergò & tu Maria Genitrix Dei, quæ sola totam Spiritus sancti gratiam possedisti, quam alij habuere per partes. Te enim Angelus Gabriel pronuntiavit gratiã plenam, *Luc. 1.* Tuum odorem longè antè in filio Patriarcha Isaac trahebat dicens, *Gen. 27.* *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni.* Tu es ager plenus, plena virtutum, plena gratiarum. Tu protulisti frumentum electorum, quod est etiam Angelorum cibis. Te benedixit Dominus. Te, inquam, benedixit Dominus, ut per te benedictam vita veniret, Sicut mors per Evam maledicta. De te secretorum cœlestium conscius Salomon dicit: *Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora confurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Aurora semper noctem sequitur, nox præcedit auroram. Quid autem est nox frigida & obscura, nisi originale peccatum, frigidum concupiscentiã obscurum ignorantia? Tu ergo processisti, ut aurora lucida & rubicunda, quia superatis originalibus peccatis in utero matris nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis. Inde est quod Nativitatem tuam sanctam sancta Ecclesia festivis celebrationibus honorat, quod aliàs non faceret. Denique nullius præter te, nisi Domini Filij tui, & Ioannis Baptistæ (qui utique sancti nati sunt) colit nativitatem.

Cùm igitur tam clarè auctoritates divinæ tuam ab utero testentur innocentiam, quis ultrà dubitet sanctam & immaculatam huic mundo progenitam? Tu es proinde turris Libani cum propugnaculis edificata. Ab ineunte quippè ætate dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. Quare delectatio justitiæ, odiumque iniquitatis, cum quibus crevisti, tua fuere propugnacula. His quippe visis, hostibus certè suspecta fuisti. Non enim parum formidabant, ne fortè tu esses (quæ & eras) per quam expugnandi erant & damnandi: propter quod & terribilis fuisti eis ut castrorum acies ordinata. Nihil verò omninò proficit
inimicus

inimicus in te, eò quòd mille clypei pependerunt ex te, omnis armatura fortium. Denarius solidus millenarius est: siquidem denarius quadratus centenarium perficit. Porrò decem sunt præcepta legis. Primum est, *Deut. 6. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* In hoc solius Dei præcipitur cultus. Nulli quippe alij servitus (quæ græcè *latría* dicitur) debetur. Siquidem quando dæmonibus exhibetur, idololatria vocatur: quod proximo inhihetur præcepto *Deut. 5. Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Ac si diceret: Nulli creaturæ Dei honorem exhibeas, nihil per incantationes aut auguria quæras. Porrò speciale obsequium Deo præbetur in observantia sanctarum solennitatum: unde tertium præceptum contextitur: *Observa diem sabbati:* quod est, in sacris feriis te exerce, quatenus per requiem præsentem discas sperare æternam. Ac tria ista ad Deum duntaxat pertinent, qua de re in unâ solummodò tabulâ scripta fuerunt. Cæterùm cætera ad conversationem hominis cum proximo spectant, quare & ipsa continebantur in secunda.

Et primum quidem ad maximè proximos, id est parentes pertinent: *Honora, inquit, patrem & matrem.* Honoris nomine non solum subjectionis reverentia, sed etiam subsidij obsequium accipitur: Proindè filij debent honorare parentes, & in bonis obediendo, & temporalia, si opus habuerint, subsidia ministrando. *Non occides.* Id maximum malum est quod proximis potest referri, ac propterea primò omnium debuit prohiberi. Fit autem homicidium multis modis, manu, præcepto, consilio, consensu vel neglectu. Si enim moriturum aliquo modo vivificare valeas & negligis, procul dubio ejus mortis reus teneris. Postea dicit: *Non fornicaberis.* Fornicatio alia spiritus, alia corporis. Spiritus fornicatio est, deserto Deo, adhærere diabolo. Unde *Psal. 72. Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Porrò corporis fornicatio, est passim cum meretricibus vel sceminis à le-

gitimis viris absolutis, solâ libidinis explendâ causâ commisce-
ri. Deindè adjungitur, *Deut. 5. Furtumq; non facies.* In furto com-
prehenditur rapina, usura, persuasio, quicquid denique cum
damno alterius possidetur. Deindè dicit: *Falsum testimonium ne
dicas.* Falsum testimonium, alieni patrociniû mendacij pro-
priè dicitur. Veruntamen in hoc loco pro omnibus mendacij
partibus verisimile est poni. Denique perjurium, voti solu-
tionem, & generaliter omne mendacium non permittit, qui
falsum testimonium nominatim prohibuit. Nonum præcep-
tum est. *Non concupisces uxorem proximi tui.* Ubi nimirum adul-
terium vetuit, atque abusionem Deo sacratarum. Sponsæ quip-
pe sunt Dei: & utique non minùs est Dei sponsam violare quàm
hominis. Decimum. *Non concupisces rem proximi tui.* Omnem
dolum & circumventionem hoc ultimo vetat præcepto, qui-
bus miseri mortales se invicem decipiunt, bonisque privant
terrenis.

Hæc decem legis præcepta suos observatores tanquam
clypei muniunt, & à tormentis inferni defendunt, quapropter
optimi decem clypei sunt. Denarius porrò linearis numerus est,
solam habens longitudinem, quæ solo duntaxat capitur intelle-
ctu. Decem itaque clypeos habet. At si denarius in altum ex-
tendatur atque quadretur, centenarium videlicet parit. Eâdem
quoque ratione si decalogus post scientiam memoriâ firmiter,
& dilatetur affectu: centum profectò clypei possidentur. Po-
stremò denarius exaltatus atq; solidatus millenarium perficit:
sic nimirum decalogum de affectu in bonam producentes ope-
rationem: optatos certè mille cæpit clypeos possidere. Non est
dubium te benedictam intellectu & affectu, & actu hunc super
omnes mortales decalogum habuisse & observasse: unde prorsus
meritò *mille clypei ex te dicuntur pendere.* Et non solùm cly-
pei, sed & *omnis armatura fortium.* Nihil est enim virtutis quod

ex

ex te non resplendeat, & quicquid singuli habuere Sancti, tu sola possedisti. Lectulus es Salomonis, de quo in canticis: *En lectulum Salomonis septuaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.*

MEDITATIO.

In SALVE REGINA.

Tom. 5. pag. 294.

AD salutandum Virginem primò debeo ejus magnitudinem considerare. Nec enim circa suum Filium amplius potuit elevari, quàm ut Mater Dei vocaretur. Admirans ergo magnificentiam Matris nostræ devotè & reverenter dicito, *Salve Regina.* Sub tuo regimine Domina, volo de cætero militare, me totaliter Dominationi tuæ committo: ut plenariè regas, nihil meæ insipientiæ dimittens de mei regimine. Quicquid enim mihi dimiseris, noveris miserrimè destruendum. Sed cùm plenus sim miseriam à vertice usque ad pedum plantas, & putrefactus; fœtorem gravem & horrorem quomodo dignaberis regere tam nobilis creatura? Quia tu es *Regina misericordie*: Et qui sunt misericordie subditi, nisi miseri? Multum es sollicita de miseris: hos in tuos filios adoptasti, hos regere Domina voluisti: & ideò *Regina misericordie* vocaris. Nos ergo miseri tecum de cætero consolemur, tecum amodò Domina habitemus, te mentis visceribus amplectamur? Quia tu es *vita*. Vita verè, quæ mortem superbiæ humilis vicisti, & nobis vitam gratiæ impetrasti. O certè vita amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis, ô vita quæ nutris tuos cælestibus alimentis. Qui enim vult te habere, se affligat, delicias respuat, delicata quæque contemnat: & qui amplius mortificatus fuerit, te amplius possidebit.

Dulcedo

Dulcedo, verè dulcedo, quæ amaritudinem peccati impetrando gratiam expellis, quæ nobis gratiæ dulcorem acquiris, quæ ad suavitatem patriæ cœlestis contemplantes introducis. O dulcis Domina; cujus sola memoria affectum dulcorat: cujus magnitudinis meditatio mentem elevat: cujus pulchritudo oculum interiorem exhilarat: cujus amœnitatis immensitas cor meditantis inebriat. O Domina quæ rapis corda hominum dulcore, nonne cor meum Domina rapuisti? Ubi quæso posuisti illud: ut ipsum valeam invenire? O raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum. Quare sic corda simplicium rapis? Quare violentiam facis amicis? Nunquid ipsum semper vis tenere? Cùm illud postulo, mihi arrides: & statim tuâ dulcedine contopitus quiesco. Cùm in me reversus iterum illud postulo: me complexaris dulcissima, & statim inebrior tui amore: tunc cor meum non discerno à tuo, nec aliud scio petere, nisi tuum. Sed ex quo est cor meum tuo dulcore sic inebriatum, gubernat illud cum tuo, & in sanguine Agni conserva, & in latere Filij colloca: tunc assequar quod intendo, & possidebo quod spero, quia tu es spes nostra. Sperent ergo in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domina. Certè qui sperant in te, mutabunt fortitudinem: assument pennas, ut aquilæ: volabunt & non deficient. Quis non sperabit in te, quæ etiam adjuvas desperatos? non dubito, quod si ad te venerimus, habebimus quod volemus. In te ergo speret: qui desperat: qui deficit, ad te currat.

Salve. Quis ergo de cætero nos à tui salutatione poterit prohibere, ex quo sic es vita, dulcedo, & spes nostra? *Salve.* Quis ergo ex quo Regina es nostra, à tua reverentia nos poterit separare vel impedire? Primò es Domina salutanda, ut per te gratia impetretur. Secundò, ut per te ad gloriam veniatur. *Ad te.* Ad te verè quia tu sola Deum genuisti, tu sola interemisti universam hæreticam

hæreticam pravitatem. Ad te certè quæ lavas nos à fecibus peccatorum, quæ nos consolaris in cunabulis vagientes, lactas parvulos esurientes. *Clamamus.* Quare non clamaremus Domina, qui vulnera sustinemus, plagas sentimus, qui inimicis undique circumdamur. Clamamus angustiati miseriis infinitis oppressi. Clamamus cordis anxietate, stomachi vacuitate, doloris acerbitate, aut fortè erga te amoris immensitate. Quare enim obdormis Domina? Surge adjuva nos. Clamamus etiam, ut nostram manifestemus necessitatem: quia clamare necessitas nos compellit, quid nos amplius affligis? Si multum tardaveris, vocem amittam clamando, & ad te amplius vociferare nequibo. Heu mihi tunc quid faciam: cùm nec exaudire me poteris, nec audire. Citò, citò Domina subvenias clamanti, ne in manibus deficiam inimici, curre, festina Domina, & tuum iniquissimum & infidelissimum servum ad te clamantem parcendo adjuva, & eripe de manu & periculis tui hostis, Si aliud te allicere Domina non deberet, nisi quia tuus hostis audet nos tuos servos invadere fraudulentè, deberes ad nos quàm citiùs festinare. Curre & libera nos Domina propter eorum superbiam reprimendam. Curre, ne dicant: ubi est eorum Domina, de cujus clementiâ confidebant.

Ne mireris Domina, si clamamus, quia sumus ad te nimium elongati. In regione longinqua dissipavimus partem nostram, & ideò *ad te clamamus exules.* Exules à patria, exules à visione divina: & utinam non exules à gratia, exules à consolatione maternâ. O anima, cur non es potiùs à corpore separata; quàm à tua Domina exul facta. Heu mihi, cur sum in tam longum exilium relegatus. O Domina, dum hîc sumus exules, constituas nos, ne hîc tanquam in Patria confidentes te & tuum Filium quærere desistamus, sic tamen constituas exules in corpore, ut semper tecum simus cives in mente. *Filij Evæ.* Verè filij Evæ; superbi,

X

superbi,

superbi, præsumptuosi, ambitiosi, avari, gulosi & carnales inobedientes, & breviter in omnibus ipsam Evam sequentes, proni sumus ad malum, difficiles verò ad bonum: & si contingat aliquem filium bonorum operum generare, cum quodam cordis dolore & tristitiâ parturimus: sed malum cum læritia perpetramus, nec bonis sufficiunt mala nostra, sed sicut ipsa Eva, ita & nos alias inclinamus ad malum, & etiam sicut ipsa, ita & nos in defectibus excusamus, aut saltem si possumus in alios retorquemus. Plus enim placet nobis in multo sudore & labore vilia acquirere; quàm Dominum gloriæ degustare, & ipsum levissimè, imò dulcissimè possidere. Nisi enim nos Domina adjuvisses, fortassis jam in inferni profundissima venissemus.

Nec est quod nos valeat excusare, qui non Te, sed Evam in omnibus imitamur, ac per hoc ad te suspiramus. Suspiramus autem de tam bonæ Matris absentia, venire Domina ad te cupientes. *Suspiramus ad te, videre Filium tuum affectantes.* Nihil ergo amor quo erga te sumus inebriati intrinsecus, cogit nos ad te Domina suspirare. Omnibus es amabilis, omnibus affabilis, omnibus delectabilis; sedes sapientiæ, fluvius clementiæ, radius Deitatis: nec est qui se abscondat à calore tuo. Quis ergo ad te Domina non suspirabit. Amore suspiramus, etiam & dolore. Undique nos angustiæ premunt. Quomodo ergo ad te non suspiremus, solatium miserorum, refugium expulso- rum, liberatio captivorum, Regina bellatorum, Domina univ- ersorum, etiam inimicorum: nec est qui tuæ voluntati valeat obviare. Sic afflicti, sic miseri ad te suspiramus. *Gementes & flentes in hac lacrymarum valle.* Heu Domina, non vides, quòd totaliter sumus amaritudine pleni? Intus sumus gementes, exterius flentes, in loco lacrymoso jacentes: onerati peccatis gemimus, aggravati molestiis flemus, abundantes miseriis in valle lacrymarum su-
mus

mus tuum subsidium postulantes. Quid ampliùs dicam: nec sufficio nec scio omnia detestabilia hujus vallis enarrare.

Eia ergo Advocata nostra. O laudabilis clementia Salvatoris, qui sic afflictis tam nobile subsidium dignatus est elargiri: & ideo non est timendum, quin miserearis miseris, ad illam partem inclinans, sententiam quam defendis, ut nobis exhibeas gloriam quam peperisti: non ergo restat Domina, nisi ut illos misericordes oculos ad nos convertas. *Eia ergo Advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte:* non dubitamus Domina, quum si nostras aspexeris miseras, non poterit tua miseratione suum retardare effectum. Mirabiles nec non & amabiles illi tuorum radij oculorum quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam ducis salutem, ne venenatos oculos basilisci timeamus. O Evæ oculi venenati, cur non offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam, nam suorum claritas oculorum tenebras expellit, effugat catervas dæmonum, purgat vitia mentium, corda congelata accendit, & demum ad cœlestia trahit. O quàm beati, ô Domina, quos tui viderint oculi! Hos ergo oculos ad nos Domina converte. *Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* O venter mirabilis, qui potuit capere Salvatorem: ô venter laudabilis, qui potuit recipere Redemptorem: ô venter desiderabilis, è quo emanavit desiderium mentium, gratiarum fluvius, gloriæ præmium: ô venter amabilis & dulcedo animæ, ô elevatio mentium, inebriatio cordium, sanitas peccatorum. Fructus tuus Domina. Hic certè est fructus beatus à principio sui ortus. Hic est Iesus Dei vivi Filius. Hic est Salvator noster Dominus Deus. Hunc Iesum *benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* ut videndo ipsum habeamus: ipsum videndo, beatitudine repleamur, ô clemens, ô pia, ô dulcis Maria. O clemens indigentibus, pia exorantibus, dulcis diligentibus: ô clemens pœnitentibus,

tibus, pia proficientibus, dulcis contemplantibus: ô clemens liberando, pia largiendo, dulcis te donando: ô clemens consolando, pia blandiendo, dulcis osculando. Clemens es subjectis, pia jam correctis, dulcis prædilectis, Amen.

S E R M O.

In Canticum VIRGINIS MARIÆ.

Magnificat anima mea Dominum.

Tom. 5. pagin. 309.

M*Magnificat anima mea Dominum.* Magnificat voce: magnificat opere: magnificat affectu. Magnificat laudando, amando, prædicando. Magnificat, laudandi, amandi & magnificandi formam simul & materiam dando. *Magnificat anima mea Dominum:* quia magnificè à magnifico Domino magnificata est. In primis ad imaginem & similitudinem Dei, anima mea mirabiliter à Domino creata est; sed postea in Adam mirabiliter deformata, nunc mirabiliùs gloriosiùs & magnificentiùs à Domino renovata est. *Magnificat anima mea Dominum.* Magnificat omnis creatura Dominum, sed ampliùs super omnem creaturam, anima mea Dominum magnificat. In omni enim creatura, nihil tam magnificè fecit Dominus; sicut animam meam; Sed sicut Dominus voluit, sic factum est. *Magnificat anima mea Dominum.* Dominum magnifica, non temetipsum. Qui semetipsum magnificavit, quantum in ipso fuit, Deum exhonoravit: & ideò non se exaltavit, sed præcipitavit. Tuum est te ipsum humiliare, Dominum exaltare.

Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Vide qualis ordo: priùs cytharam, postea psalterium tetigit: priùs animam, postea spiritum posuit: non enim priùs quod spirituale, sed animale; de-
indè

indè quod spirituale. *Et exultavit spiritus meus*, extra omnem creaturam, extra seipsum etiam gaudio saltavit. In quo? Non in me; sed in Deo Creatore meo: cognitione & amore ejus fervendo: & hoc non per me, sed mediante & salvante me *Salutari meo*, Iesu Filio meo, singulariter meo. Meus est Deus; meus Salutaris; meus est Filius. Omnium quidem Conditor est, sed mei solius Filius est: & me mediante omnium salus est. *Quia respexit humilitatem ancilla sue*. Non auderet ancilla sua, nec oculos ad eum levare, nisi ipse prior ad ancillam suam dignaretur aspice-re. Ab illo priùs respexit super nos misericordia: quia nos nimis despectos nostra reddiderat miseria. Me autem inter omnes specialiter respexit, cui super omnes singulare privilegium concessit. Et vide, quia non fuit contenta dicere, *respexit me*, aut *respexit ancillam suam*, aut *respexit humilitatem meam*; sed semetipsam, depressit valdè, & firmissima locavit fundamenta, ubi tantæ magnitudinis & pulchritudinis firmiter exciperet, & servaret ornamenta. *Respexit*, inquit, *humilitatem ancilla sue*. Singula verba suo pondere libranda sunt. Sunt enim ancillæ, sed non humiles. Ancilla fuit Agar, sed superba: Dominam suam despe-xit, *Gen. 16*. Sunt multæ satis humiles, sed non usque ad ancillas, sed multæ humiles etiam ancillæ, sed non Domini: humilitas ergo contemptum sui: ancilla famulatum suâ devotione com-mendat. *Respexit humilitatem ancilla sue*; Respiciendo me per gratiam suam: & humilem me fecit: & ancillam suam. Suam, inquam, me fecit: & in me suum speciale opus fecit.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. O dilata-tatum cor: quàm perlucidis oculis omnem subitò creaturam in vera beatitudine collocandam simul aspexisti. *Ecce*, inquit, intuentis est hoc verbum, & demonstrantis. Ecce video quod futurum sit de me, quis fructus procedet ex me: quot & quan-ta bona, non mihi soli, sed omnibus generationibus pervenient

per me. *Beatam me dicent omnes generationes.* Beatam me non dicerent, nisi de eadem beatitudine, quam habeo, aliquid attingerent. Quomodo eructabit qui non manducat? *Beatam me dicent*, de cuius bono fructum percipient omnes generationes. Ex meo fructu benedicentur: & cum omnes beatificentur; omnes tamen beatam singulariter me dicent. Omnes, inquam, generationes, generationes cœli, generationes terræ: omnes Angeli, & omnes Electi. Nam & in Angelis generationes sunt. Unde dicitur Pater Spirituum, *Eph. 3.* Et ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Alij enim alijs in cœlo patres sunt, quibus paternam charitatem præsent: in quibus generant & exprimunt omnem paternitatis affectum. Ex summo enim Patre omnis eorum paternitas nominatur: quia sicut summus & verus Pater omnes paternè diligit, & docet & regit, ita & ipsi secundum donum paternitatis quod acceperunt, subiectos sibi paternè diligunt, & docent, & regunt. Sic & boni Patres, qui sunt in terra, à summo Patre paternitatis suæ munus accipiunt: secundum quod & ipsi plus vel minus ad notitiam & amorem summæ paternitatis accedunt. *Omnes generationes beatam me dicent*; Angelicarum namque generationum numerus per generatum reintegrabitur: & hominum generatio in Adam maledicta, per benedictum fructum ventris mei, ad æternam benedictionem regenerabitur. Inter has & super has omnes generationes, *Beatam me dicent omnes ipsarum generationes.* Merito ergo Dominam beatamque te dicent omnes generationes: quæ omnibus veram & æternam beatitudinem genuisti.

Quia fecit mihi magna qui potens est & sanctum nomen eius. Hoc, inquam, quod omnes generationes me beatificant, non mihi attribuo, non meis adscribo meritis; sed ei qui fecit mihi magna. Ex hoc enim beatificor ab omnibus, quia ab ipso beatificata sum, quasi in speculum beatitudinis omnibus præposita
tum.

sum. *Quia fecit mihi magna.* Non enim aliquod magnum fecit mihi, sed multa magna, magnum est per se, quod Virgo sum; magnum per se, quod Mater sum; magnum, quod simul utrumque & Virgo & Mater sum; & cuius Mater? Dei, Unigeniti, Plasmatoris & Salvatoris omnium. *Fecit mihi magna.* Non potest narrari, non potest cogitari magnitudo & multitudo bonorum, quæ fecit mihi. Et quisnam est ille, qui tam magna fecit tibi? *Qui potens est & sanctum nomen ejus.* Nolite mirari, nolite dicere, quomodo possunt hæc fieri? Potens est ille qui fecit hæc; potens est, imò omnipotens. Potentiam ejus attendite: quia omnia quæcunque vult, potens est facere: magna sunt, quæ attenditis in me; sed magna est illa potentia, quæ tam magna fecit mihi. Ex magnis & mirabilibus quæ fecit in me, magnam & mirabilem potentiam illius perpendite. Et quare hic tam magna fecit tibi? *Quia sanctum nomen ejus:* propter nomen suum, non propter meum meritum, tam magna fecit mihi: nomen suum, quod est mirabile, & sanctum, & ineffabile, voluit in me declarare. Quod est hoc nomen? Bonus. *Quia nemo bonus:* nisi solus Deus. Ergo propter solam bonitatem suam tam magna fecit mihi; quia & potentiam & bonitatem suam in me voluit declarare: potens enim singulariter, & sanctum nomen ejus; sed sicut in ipso sanctum est nomen ejus, sic sanctificetur & in nobis, sicut in ipso ab æterno prædestinatum est, sic compleatur in nobis.

Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Ecce nomen ejus dicitur *misericordia ejus.* Ubi? à progenie in progenies. A Judæa in omnes gentes: vel ab initio seculi usque in finem: misericordia ejus impeditur, non passim sed timentibus eum. Non est personarum acceptio apud Deum. Judæus & Græcus, Barbarus & Schyta, servus & liber, masculus & femina *Coloss. 3.* in omni gente & progenie: si timet Deum, & operatur

ratur justitiam, acceptus est illi. *Misericordia ejus timentibus eum.* A timore incipitur, ut ad amorem perveniatur. Non desperent adhuc timentes pro peccatis suis, quia misericordia illius super timentes eum. Misericordia ejus remittit peccata timentibus eum; remissio peccatorum nutrit amorem sitientibus eum: qui autem diligunt eum, nomen ejus agnoscunt: amor ipsa notitia est; sed quantò adhuc à notitia ejus distamus; tantò etiam eum minus amamus: si autem nondum illum perfectè amare possumus, quia nec perfectè novimus, vel cum amore timeamus. Qui autem sine amore timet, non filius sed servus est: & hic timor pœnam habet, non notitiam.

Fecit potentiam in brachio suo. Naturâ quidem filij eramus iræ; sed per Redemptionem Iesu Christi facti sumus filij misericordiæ: quia *fecit potentiam in brachio suo*; alligans fortem, & vasa ejus diripiens; alioquin nisi nos Filius liberasset, & per mortem suam Deo reconciliasset: non esset super timentes blandiens misericordia; sed super timentes eum puniens justitia. Quia *disperfit superbos mente cordis sui.* Quoniam ergo universæ viæ Domini misericordia & veritas, sicut suprâ de misericordia, quâ humiles redemit; ita nunc & de justitia, quâ superbos judicat, agit: & quasi geminum parietem ex utrisque vicissim tractando constituit: *Disperfit superbos mente cordis sui.* Ab initio mundi tam homines quàm Angeli superbientes sunt dispersi. Projectus est de cœlo draco magnus, sathanas, & dispersus est per hunc aërem tenebrosum: quoniam in unitate veritatis stare noluit, qui enim in veritate Dei collectus non est: in sua vanitate dispersus est. Dispersi sunt superbi, qui ædificabant turrim Babel: quia unitas linguæ eorum in multitudine scissa est. Omnis superbus eo ipso, quod superbit, dispersus est: quid enim superbia nisi pulvis in altum sublatus & in ventum dispersus? *Disperfit superbos mente cordis sui*: hoc est eos, qui superbiunt mente cor-

re cordis sui, quàm dilucidè secretum pessimæ elationis latibulum referavit! Est enim quædam quasi bruta & vilis superbia, quæ omnibus etiam stultis palam est: quæ maximè incarnalium sensuum voluptate moratur; sicut est aut de nitida carne, aut de pulchra veste; aut de cibi vel alicujus immundi desiderij expletâ voluptate gestire.

Est & alia quæ sibi pulchrior videtur superbia; & tamen longè turpior; sicut est de scientia, vel potentia; vel de ingenij subtilitate super alios extolli, & cæteros quasi pecora præ se reputare, quæ præclaros hujus seculi solet occupare. Est & tertium genus teterrimum, uti de virtutibus, de miraculis, de intelligendis Angelorum linguis, vel mysteriis cœlestibus apud se gloriari. Isti enim sunt, qui superbiunt mente cordis sui. Mens subtilitas est intelligentiæ: Cor affectio inanis gloriæ. Et benè additum est *sui*; quia etsi à Deo aliqui habent scientiam, sed tamen à se ipsis habent extollentiam. Omnes ergo gentes superbas dispersit, pecora campi, volucres cœli, & pisces maris; Isti enim pisces qui retia rumpunt, qui subtilia rimantur, qui inter fideles quasi in aquis humiles esse videntur; sed tamen non de fluminis dulcedine, sed de maris amaritudine sunt pisces maris: ideò non cœli sed maris semitas perambulant; nam etsi aliquid cœleste quasi in aëra saltando percipiunt: totum in profundum maris secum demergunt: At verò volucres cœli manifestâ levantur superbiâ: qui pro temporali gloria, quasi vertice sydera tangere sibi videtur: qualem sacra historia describit Antiochum 1. *Machab.* fuisse, vel Herodem *Act. 12.* quales etiam multos hodiè, quos non legere, sed lugere licet & videre; pecora enim terræ, hoc est, homines gulæ tantum & luxuriæ dediti, faciliùs respiscunt à diaboli laqueo, quàm qui prudentes sunt in oculis suis. *Dispersit igitur superbos mente cordis sui*; quia ex omni genere su-

re superborum quosdam conterit, ut in æternum pereant, & quosdam humiliat, ut ad vitam redeant.

Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles. Primò Dæmones rectores tenebrarum harum, qui potentes erant in effectu malitiæ suæ, à sua potentia infirmavit, & exterminans Iebusæum in Ierusalem, regni sui sedem in ea collocavit. *Deposuit potentes de sede*, quando pervenit sermo ad Regem Ninive, hoc est, usque ad imperatores hujus seculi, & descendit de solio suo indutus sacco & cinere, & humiliavit se, *Ion. 3.* ut ab ira Dei declinaret. Deposuit Saul: & exaltavit David, *2. Reg. 6.* deposuit & superbum Achab de sede: sicut ad Prophetam suum dicit, *3. Reg. 21. Non vidisti humilitatem Achab coram me?* Sed quia in humilitate non permansit; ideò exaltavit humilem: sed superbum damnavit. Deponit etiam quotidie potentes hujus seculi; alios quidem ad supplicium æternum: alios ad humilitatis regnum. Habet enim in manu suâ stateram suam: & cui vult miseretur: & quem vult indurat, *Rom. 9.* Cur autem hunc depositum damnat, & hunc repositum salvat: ipse sibi in thesauris suis reconditum servat. Unum hoc pro certo scire licet; quia non humiliamur, non solvamus.

Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes. Priùs humiliavit, postea pavit; Prophetiæ spiritus est; futura jam quasi præterita narrat; nondum enim bonis impleti sunt esurientes. Si enim bonis impleti; quomodo esurientes? Et si esurientes; quomodo bonis impleti? nisi fortè dicamus secundùm illud *1. Pet. 1. In quem concupiscunt Angeli prospicere:* qui tamen semper vident faciem Patris, & esurientes sunt, & impleti bonis habent desiderium in satietate, & satietatem in desiderio; sed satietas illa sine fastidio, & esuries sine cruciatu; imò ipsa beata esuries semper satiat eos. Sed non sicut in patria, sic in via sitiunt & esuriunt justitiam. In Patria saturabuntur, cùm manifestabitur gloria,

ria, & tamen etiam hîc in via esurientes implentur bonis: malis evacuatur; implentur bonis, hoc est, Spiritus sancti donis. Esurientes implentur, non fastidientes, pauperes saturantur: nam divites dimisit inanes. Dives erat Elaü, ideò fratris sui dona non curavit. *Habeo*, inquit, *Gen. 33. plura, sint tua tibi*. Dives erat Iethro sacerdos cognatus Moyfi *Num. 10.* ideò noluit consentire, ut iret cum eo ad bona quæ promiserat Deus Israël. Dives Hiram Rex Tyri; ideò civitates quas separabat ei Salomon, parvè pendit, *3. Reg. 9.* Nunquam ergo tibi plenus & dives videaris: ne inanis & vacuus dimittaris. Dic semper Domino Deo tuo. *Ege- nus & pauper ego sum, psal. 69.* In manu tua Domine panis & vestimentum est animæ meæ; si dederis mihi panem ad edendum, & vestimentum quo operior: eris mihi in Deum, & lapis iste in signum, *Gen. 28.* Si autem Ægypto dederimus manum & Assyriis, ut saturemur pane, *Thren. 5.* jam extendimus manus nostras ad Deum alienum. Ad hoc ergo pascit, & vestit nos Deus in via ista & esurientes implet bonis consolationibus suis, ut tandem efficiamur Israël, id est, contemplativi.

Tunc enim, hoc est, in contemplatione, *suscepit Israël puerum suum.* Quam diu Jacob vocatur, in laboribus sudat: in alieno quidem, sed fideliter servit: at ubi ad patrem suum cum sua substantia regreditur; jam tunc aliud nomen sortitur; hoc est *Israël*: quia suscepit Israël puerum suum. Suscepit revertentem de Mesopotamia Syriæ, fatigatum laboribus, & ærumnis: spirantem jam ad videndam faciem patris. Suscepit mittendum, suscepit perficiendum: & usque ad faciem suam perducendum. *Suscepit Israël puerum suum*: non superbum, sed humilem: non pilosum, sed lenem, non venatorem, sed pastorem. Et quare suscepit eum? *Recordatus misericordie sue*, hæc sola causa est quare suscepit eum: ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Videbatur oblitus esse mi-
Y 2
fereri

fereri Deus: quando usque ad finem seculorum distulit mittere Filium suum. Sed recordatus, quod nunquam oblitus fuit: ut nos semper memores simus, & in æternum misericordias Domini cantemus. *Suscepit Israël puerum suum.* Suscepit naturam; suscepit causam; suscepit negotium ejus, suscepit pater filium suum: suscepit in filio puerum suum, id est totum corpus ejus, à primo justo usque ad novissimum. Suscepit eum in odorem suavitatis sacrificium vespertinum: suscepit eum in hæreditatem immarcessibilem, & incontaminatam conservatam in cælis. Nota quod finalis versus cantici hujus misericordia est. A misericordia incepit; à misericordia finit; circa misericordiam ubique versatur.

Sicut locutus est ad patres nostros Abraham & semini ejus in secula. Ultimus iste versus est, qui decalogum adimplet, qui in decem cortinis consummat tabernaculum. In hoc versu & promissorum Dei veritas, & utriusque testamenti auctoritas, & omnium credentium unitas comprobatur, & convenienter ad omnia; & ad singula, quæ superius dicta sunt, refertur: quasi diceret, hoc & hoc fecit mihi qui potens est, & misericors & justus, & verax in omnibus verbis, & operibus suis. Ita, inquam, opere complevit omnia: *Sicut locutus est ad patres nostros.* Et semel quidem locutus est Deus qui creavit omnia; sed quod in ipso semel æternaliter factum est: his quæ temporaliter decrevit, semel indicari non potuit. Unde multifariam multisque modis locutus est Deus Patribus, *Hebr. r.* sed tamen non nisi perperam & obscure, & perpauci de hoc verbo cognoverunt: donec novissimè locutus est nobis in Filio, qui semetipsum expressius intimavit. Necdum tamen verbum illud nisi per speculum in ænigmate, & à paucissimis videtur, donec tandem novissimè in splendoribus Sanctorum, ex utero Patris ante luciferum genitus, ab electis cognoscetur. Ab initio ergo, locutus est ad patres nostros, quod
in fine

in fine seculorum cœpit declarare: & unus idemque lapis, & antiquos & novos filios in unius fidei charitatisq; compagem colligaret; essetque una columba, & una speciosa, & quæ venturum credidisset, & quæ venientem excepisset. Inter quos utique patres, egregius, & princeps, & maximus fuit Abraham, in cuius semine æstimantur fideles omnes: quibus etiam non loquitur Deus per columnam nubis in die; & per columnam ignis in nocte, & loquitur in secula superventura, non per speculum, aut per visionem, aut per somnium; sed per se ipsum loquitur semel in omnibus, facie ad faciem; cum tradiderit Regnum, Deo & patri, *1. Cor. 15.* & erit Deus omnia in omnibus.

LAMENTATIO VIRGINIS MARIÆ.

Tom. 5. pagin. 381.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut possim flere per diem & noctem, donec seruo suo Dominus Iesus appareat visu, vel somno consolans animam meam? O vos filiæ Hierusalem, sponsæ dilectæ Dei, una mecum lacrymas fundite, donec nobis vester sponsus in sua speciositate benignus appareat, vel occurrat. Recolite, recolite, & sedulâ mente pensate quàm sit amarum ab ipso separari, cui vos promisistis ac nupsistis, cui vos in omni sanctitate vovistis. Vovistis vota, reddite ea: vos ipsas Christo vovistis: vos ipsas Christo reddite. Currite filiæ: currite virgines sacræ, currite matres Christo castitatem voventes, omnes ad virginem currite quæ peperit Christum. Ipsa enim portavit Regem gloriæ, illum omni petenti datura. Ipsa genuit eum, lactavit eum, die octavâ circumcidit, & quadragesima præsentavit in templo, duos turtures, vel duos pullos columbarum pro eo offerens in holocaustum.

stum. Fugiens ab Herode ipsum portavit in Ægyptum, lactans eum & nutriens, curam illius habens, sequens eum ferè quocunque pergebat. Credo etiam firmiter, quòd ipsa Mater Iesu erat inter illas sceminas, quę ipsum sequebantur ministrantes ei. Nullus debet inde admirari, si sequebatur eum, cum ipse esset totus ejus dulcor, solatium, desiderium, & solamen. Hanc etiam arbitror fuisse inter illas dolentes atque gementes, quę lamentabantur flentes Dominum. Poterat etiam & hæc esse inter illas sceminas filias Hierusalem, ad quas Iesus tunc non clarus imperio, sed plenus opprobrio, spinis coronatus, sputis illitus, flagellis afflictus, sibi in angariam mortis crucem bajulans, conversus dixit, *Luc. 23. Filie Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.*

Putasne Domina mundi, Domina mea, Mater dilecta ejusdem Christi, estne verum quod dico? En obsecro ut dicas servulo tuo decus paradyfi, gaudium cœli, veritatem hujus rei. Obliviscere tamen causam doloris rogo, quem tunc passam te fuisse non dubito. Utinam dolor ille sic quotidie inhæreret visceribus meis, sicut inhæsit tunc tuis. Utinam die quâ assumpta fuisti in cœlum, ut in æternum gauderes cum Filio tuo, mihi indicasses lacrymas tuas, ut per illas cognoscerem, quantum tibi amaritudinis fuit cum Iesum dilectum tibi, heu, heu, & parum dilectum mihi, clavis ligno confixum, capite inclinato suum sanctissimum exhalare videres Spiritum. Sed peto Domina mea, ne te moveant verba mea quę dico, cum tamen saxa deberent scindi ad illa. Quis unquam regnans in cœlo sursum, aut peregrinans in terra deorsum, audiens vel mente pertractans quomodo factus est opprobrium hominum ipse Dominus Angelorum, poterit lacrymas continere etiam in cœlo, ubi est impossibile flere? Quare ego miser non ploro, cum abjectio plebis factus est Filius Dei Patris? Veruntamen tu Domina gaude gaudio

dio magno valdè, ab ipso glorificata in cœlis, quæ in mente tantis clavis amarissimis fuisti confixa suæ piissimæ mortis. Mihi tamen, obsecro, lacrymas illas infunde, quas ipsa habuisti in sua passione: & ut his affluam largiùs, de passione Filij tui Dei mei & Domini mei verba adinvicem conferamus. Tenêris promissione: redde quia hoc nobis superiùs promisisti. Memini te mihi in primo exordio nostri sermonis fuisse locutam de doloribus, quos ipsa portasti pro morte Unigeniti tui. Quod ut audi- vi, non modicum perturbatus, cœpi quærere dolens qui essent illi tui sermones, Cui ipsa dixisti: qui sunt isti mei sermones, in- terim recogita in amaritudine animæ tuæ, donec de his ad in- vicem conferamus. En narra mihi, te flagito, seriem veritatis, quæ Mater es & Virgo, & templum totius Trinitatis.

Ad quem illa: illud quod quæris compungitivum est ma- gni doloris. Sed quia jam glorificata sum, ultra jam flere non possum, tu cum lacrymis scribe ea quæ cum magnis doloribus ego persensi. Cui inquam: flere peropto, quia & nihil aliud mihi libet, sed ego miser cor lapideum habens flere non possum. Regina cœli, Mater crucifixi, da quod jubes, & præbe quod cupio: loquere, quia audit servus tuus. Dic Domina mea, dic Mater Angelorum, Mater misericordiæ, si in Hierusalem eras, quando Filius tuus captus fuit & vinctus, & in Annæ atrium tra- ctus, & ductus? Cui illa respondit: fui itaque in Hierusalem quando hæc audiui, & gressu qualicumque potui, & vix potui, ad Dominum meum veni plorans. Cumque ipsum fuisset in- tuita pugnis percuti, alapis cœdi, in faciem conspui, spinis coro- nari, & opprobrium hominum fieri: commota sunt omnia vis- cera mea, & defecit spiritus meus, & non erat mihi ferè sensus, neque vox, neque sonus. Erant etiam mecum sorores meæ, & aliæ mulieres multæ, plangentes eum quasi unigenitum. Inter quas erat Maria Magdalena, quæ super omnes, excepta me que
tecum

tecum loquor, dolebat & plorabat. Cumque Christus Deus præcone clamante, Pilato imperante sibi bajulans crucem ad supplicium traheretur, factus est concursus populorum post eum euntium, alij super eum plangentes, alij illudentes, & projicientes lutum, fimum & immunditias super caput ejus. Sequebar ego eum prout poteram ejus mœstissima Mater cum mulieribus, quæ eum secutæ fuerant à Gallilæa ministrantes ei, à quibus velut emortua tenebar & sustentabar, quousq; perventum est ad locum passionis, ubi crucifixerunt eum ante me. Et ipse me videns, fuit in cruce elevatus, & ligno durissimis clavis affixus. Stabam & ego videns eum: & ipse videns me, plus dolebat de me, quàm de se. Ipse verò tanquam Agnus coram tondente se vocem non dabat, nec aperiebat os suum.

Aspiciebam ego infelix & misera Deum meum & Filium meum in cruce pendentem, & morte turpissimâ morientem. Tantoque dolore & tristitâ vexabar in mente, quòd non possit explicari sermone. Nec mirum. Erat enim aspectu dulcis, colloquio suavis, & omni conversatione benignissimus. Manabat namque sanguis ejus ex quatuor partibus rigantibus undis, ligno, manibus, pedibusque confixis. De vultu illius pulchritudo effluerat omnis, & qui erat præ filiis hominum speciosus formâ, videbatur omnium indecorus. Videbam quòd complebatur illud propheticum in eo, *Esa. 53*. Vidimus eum, & non erat ei species, neque decor. Vultum enim illius iniquorum Judæorum scœdaverat livor. Iste erat dolor meus maximus, quia videbam me deseri ab eo, quem genueram, nec super erat alius, quia mihi erat unicus. Vox mea ferè perierat omnis, sed dabã gemitus suspiriaque doloris. Volebam loqui, sed dolor verba rumpebat: quia verbum jam mente conceptum, dum ad formationem procederet oris, ad se imperfectum revocabat dolor intimus cordis. Vox triste sonabat foris, vulnus denuntians mentis. Verba do-

ba donabat amor, sed raucè sonabant, quia lingua magistra vocis usum perdidit loquendi. Videbam morientem, quem diligebat anima mea, & tota liquefiebam præ doloris angustia. Aspiciebat & ipse benignissimo vultu me Matrem plorantem, & verbis paucis voluit me consolari, sed ego nullo modo consolari potui. Flebam dicendo, & dicebam flendo: Fili mi, Fili mi. Væ mihi, væ mihi. Quis dabit mihi ut ego moriar pro te Fili mi? O misera quid faciam? Moritur Filius meus. Cur secum non moritur hæc mœstissima Mater ejus? Mi Fili, Fili mi. Amor unice, Fili dulcissime, noli me derelinquere post te, trahe me ad te ipsum, ut & ego moriar tecum. Malè solus moreris. Moriatur tecum ista tua genitrix. O mors misera noli mihi parcere, tu mihi sola præ cunctis places, exaggera vires, trucida Matrem, Matrem cum Filio perime simul. Fili dulcor unice, singulare gaudium, vita animæ meæ, & omne solatium, fac ut ego ipsa nunc tecum moriar, quæ te ad mortem genui, sine Matre noli mori. O Fili, recognosce miseram, & exaudi precem meam. Decet enim Filium exaudire Matrem desolatam. Exaudi me obsecro, in tuo me suscipe patibulo, ut qui unâ carne vivunt, & uno amore se diligunt, unâ morte pereant.

O Judæi impij, ô Judæi miseri, nolite mihi parcere. Ex quo natum meum crucifixistis & me crucifigite, aut aliâ quacunque morte sævâ me perimite, dummodò cum meo Filio simul moriar. Malè solus moritur. Orbas orbem radio, me Judæa Filio, gaudio & dulcore. Vita mea moritur, & salus perimitur, atque de terra tollitur tota spes mea. Cur ergo vivit Mater post Filium in dolore? Tollite, suspendite Matrem cum pignore. Non parcitis proli, non parcatis & mihi. Tu mihi soli mors esto sæva: nunc summè gauderem si mori cum Filio simul possem. Dulce est mihi miseræ mori, sed mors optata recedit. Væ mihi & tibi Fili, mors ipsa præcipitata venit. Morte mori melius est mihi,

Z

quàm

quàm vitam ducere mortis. Sed fugit à me miseria, & infelicem me relinquit, cui ipsa mors multum optata nunc esset. O Fili charissime, ò benignissime Nate, miserere Matri tuæ, & suscipe preces ejus. Desine nunc mihi esse durus, qui cunctis semper fuisti benignus. Suscipe Matrem tuam in cruce, ut vivam tecum post mortem semper. Nihil mihi dulciùs est, quàm te amplexato in cruce tecum mori: & nil certè amariùs, quàm vivere post tuam mortem. Overè Dei Nate, tu mihi Pater tu mihi Mater, tu mihi Filius, tu mihi sponsus, tu mihi anima eras. Nunc orbor Patre, viduor sponso, desolor Filio, omnia perdo. O Fili mi, ultra quid faciam? Væ mihi, væ mihi. Quò vadam charissime? Ubi me vertam dulcissime, quis mihi de cætero consilium & subsidium præstabit? Fili dulcissime omnia tibi possibile sunt, sed & si non vis ut moriar tecum, mihi saltem relinque aliquod benignum consilium.

Tunc jam Dominus anxius in cruce annuens oculis & vultu de Ioanne ait: *Mulier, ecce filius tuus, Ioan. 19.* Erat enim Ioannes præsens, vultu tristis, & corde semper mœstissimus, lacrymis semper plorans. Ac si diceret: ò Mater dulcissima mollis ad flendum, mollis ad dolendum, tu scis quia ad hoc veni, & ad hoc de te carnem assumpsi, ut per crucis patibulum salvarem genus humanum. Quomodo ergo implebuntur scripturæ? Sic enim oportet me pati pro salute generis humani. Die namque tertiâ resurgam, tibi & discipulis meis patenter apparens: desinere, & dolorem deponere, quia ad Patrem vado, & ad gloriam Paternæ Majestatis percipiendam ascendo. Congratulare mihi, quia nunc inveni ovem errantem, quam tam longo tempore perdideram. Moritur unus, ut totus indè reviviscat mundus. Unius ob meritum cuncti perire minores, & nunc salvantur unius ob meritum. Quod placet Deo Patri quomodo displicet tibi? Mater dulcissima, calicem, quem dedit mihi Pater,

ter,

ter, non vis ut bibam illum? Noli flere mulier, noli flere Mater speciosissima: non te desero, non te derelinquo. Tecum sum, & tecum ero omni tempore sæculi. Secundum carnem subjaccio imperio mortis, secundum divinitatem sum & ero semper immortalis & impassibilis. Benè scis unde processi, & unde veni. Quare ergo tristaris si illuc ascendo unde descendi? Tempus est ut revertar ad eum qui me misit: & quò ego vado, tu non potes venire modò, venies autem postea. Interim Ioannes, qui est nepos tuus, reputabitur tibi filius, curam habebit tui, & erit solatium fidelissimum tibi. Inde Dominus intuitus Ioannem, ait: *Ecce Mater tua*: ei servies, curam illius habebis, eam tibi commendo, suscipe Matrem tuam, imò magis suscipe Matrem meam.

Dum hæc pauca diceret, illi duo dilecti lacrymas fundere non cessabant. Tacebant ambo illi martyres, & præ nimio dolore loqui non poterant. Isti duo virgines audiebant Christum voce raucâ & semivivâ loquentem, ipsum videbant paulatim morientem: nec ei poterant respondere verbum, quia illum videbant quasi jam mortuum, erant enim illi duo quasi jam mortui, unde spiritus illorum voces exhalare nequibat. Defecerant spiritus illorum, & virtutem loquendi amiserant. Audiebant & tacebant, quia præ angustia loqui non poterant. Solus illis dolor luctusque remansit amicus. Amabant flere, & flebant amarè. Amarè flebant, quia amarè dolebant. Nam gladius mortis Christi, animas utrorumque transibat. Transibat sævus, sævus perimebat utrumque. Quo magis amabat, sævior fiebat in Matre. Vulnere Christi morientis, erant vulnera Matris dolentis. Dolores sævi, fuerunt tortores in anima Matris. Mater erat laniata morte chari pignoris. Mente Mater erat percussa cuspide teli, quo membra Christi servi foderunt iniqui. Ipsa enim erat quam dolor tenebat. In mente ejus creverant immensi dolores, nec

poterant extra refundi. Intus atrocius sævientes dolores natæ, Matris animam gladiabant. In carne Christus solvebat debitum mortis, quod gravius erat, quàm mori in anima Matris. Interim Christus Matre commendata Ioanni, dixit: *Sitio*. Et dederunt illi qui crucifixerunt eum, acetum cum felle mixtum. Quod cum gustasset, noluit bibere. Dixitque: *Consummatum est*. Et exclamavit voce magnâ, dicens: *Heli Heli lama sabacthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Et hæc dicens, expiravit. Tunc terra tremuit, & sol sua luminaria clausit. Mœrebantque poli, mœrebant sydera cuncta. Omne suum jubar amisit luna dolendo. Recessitque omnis ab alto æthere fulgor. Finduntur duri lapides, scinduntur fastigia templi. Petræ durissime scissæ sunt, & monumenta aperta. Surrexerunt multi apertis tumulis, fatentes voce magnâ Christum esse Deum.

Cogitare nunc libet quantus dolor tunc infuit Matri, cum sic dolebât, quæ insensibilia erant. Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ. Nunc solvis Virgo cum usura, quod in partu non habuisti à natura. Dolorem pariendo Filium non sensisti, quem milies replicatum Filio moriente passa fuisti. Iuxta crucem Christi stabat emortua Mater, quæ ipsum ex Spiritu sancto concepit. Vox illi non erat, quia dolore attrita jacens pallebat. Quasi mortua vivens vivebat moriens, moriebatur vivens, nec mori poterat, quæ vivens mortua erat. In illius anima dolor sævè sæviebat. Optabat mori magis, quàm vivere post mortem Christi, quæ malè vivens mortua erat. Ibi stabat dolens, sævo dolore confecta. O verum eloquium justæ Simeonis, quem promisit gladium sentiebat doloris. Exspectans corpus Christi deponi, plorabat dicens: heu me, heu me: reddite vel saltem nunc mœstissimæ Matri extinctum Filium. Vel certè si magis libet, me morte illi conjungite, ut cum doloribus suis pereant & dolores

lores mei. Deponite illum, quæso, deponite mihi, ut mecum habeam corpus exanime, sitque meus unicus mihi in solatium vel defunctus. Stabat juxta crucem Maria intuens vultu benigno Christum pendentem in patibulo, pedumque summitatibus innitens manus levabat in altum, amplectens rubricatam crucem, ac in oscula ejus ruens eâ parte, quâ unda pretiosissimi sanguinis defluebat. Sursum manus nisu quo poterat extendebat, unicum suum amplecti desiderans nec valebat. Superat enim amor multa, quæ nunquam vel rarò fieri possunt. Impatiens siquidem amor credit, quòd sibi debeant credere universa. Volebat amplecti Christum in alto pendentem, sed manus frustra protensa in se complexæ complexæ redibant. Levabatur à terra sursum, ut dilectum suum contingeret, ipsumque tangere nequies, durissimè recollidebatur ad terram. Ibi doloris immensitate oppressa, prostrata jacebat: sed maxima vis amoris, quâ incensa mens ejus ardebat, eam erigere compellebat: & amoris impetu surgens, reextensis manibus suum atrectare Filium affectabat: & rursus magno cruciata dolore, terram repetere cogebatur. O quàm malè tunc illi erat. Graviùs illi erat vita vivere tali, quàm diro gladio sævè necari ab impijs. Tanquam mortis pallor ejus vultum perfuderat, genis & ore tantum cruore Christi rubentibus, candentes guttas sanguinis ore sacro tangebatur, terram deosculans sæpissimè quam cruoris unda rigabat. O grave martyrium! O frequens suspirium! O languens pectus virgineum! Anima ejus tota liquefacta est, facies palleat rosea, sed pretioso Filij sanguine rubet resperfa.

Interim vir quidam nobilis nomine Ioseph, qui erat Discipulus ejus, occultè tamen, ad Pilatum accessit, postulans sibi donari corpus Domini Iesu Christi. Quo sibi concesso, accessit quendam virum sapientem & legis peritum nomine Nicodemum Discipulum Christi occultum similiter, & venerunt

ad locum ubi erat Dominus crucifixus, secum instrumenta ferentes, quibus clavos extraherent, & ut eum de cruce deponerent. Quos cum benignissima & mœstissima Mater aspiceret, & sciret eos unicum suum velle deponere de cruce, quasi de morte consurgens paululum revixit anima ejus, & de terra festina exiliens, ubi jacebat dolens violentiâ prostratâ, quod poterat adjutorium, debilissima illis ministrabat. Unus duos illos ac duos clavos trahebat è manibus; alius, ne corpus exanimè caderet, sustentabat. Stabat & Maria brachia levans in altum, vulnera contemplans, manus perforatas sacroque sanguine resperfas intuens, vix sustinere se potuit. Jamque manus, brachia sancta & caput supra triste pectus suscepit, ut hoc ultimo & miserando solatio posset consolari. Quem ut attingere valuit, amore materno ruens in dulcissimos amplexus & oscula, de suo sic malè tractato Filio non poterat satiari. Sed cum de cruce corpus ejus fuisset totaliter depositum, præ doloris vehementiâ & amoris immensitate quasi exanimis facta fuit. Stabat ad caput extincti Filij mœstissima Mater, & ejus regalem faciem mortis obfuscatam palloribus, magnâ rigabat affluentia lacrymarum. Aspiciebat illud reverendissimum caput coronæ spineæ diris aculeis perforatum, manus illas & pedes sacros clavis ferreis crudelissimè perforatos, latusque suffossum lanceâ, cum cæteris membris laceratis & amarissimè suspirans ac flens dicebat.

O Fili mi dulcissimè quid fecisti? Quare crudelissimi Iudæi te crucifixerunt? Quæ causa mortis tuæ? Commisit sine scelus, ut tali morte damnareris? Non Fili, non Fili, sed sic tuos redimere dignatus es, ut posteris exempla relinquis. In gremio meo nunc te mortuum teneo. Quid ego tua Mater Fili mi dilectissime faciam? Væ mihi Fili mi, dulcedo mea, consolatio mea, vita mea. Ubi est illud gaudium indicibile quod in tua admirabili nativitate habui? Væ mihi Fili mi, & Spiritum sanctum mihi
interim

interim infunde, quia jam gaudij illius quod in obumbratione & angelica salutatione concepi, ferè præ dolore immemor deficio. Interim autem frontem & genas, nasum, oculos, osque simul frequentius osculabatur, tantâ perfluens affluentia lacrymarum, ut carnem cum spiritu resolvi putares in lacrymas. Rigabat felicibus lacrymis corpus exanime Filij, & monumentum in quo posuerunt eum, modo mirabili madidabat, ubi & ejus lacrymæ adhuc apparere dicuntur, indicativæ doloris intimi qui animam ejus tanquam gladius acutus pertransivit. Cogitabat mirabilia facta unici sui: & durissima opprobria & tormenta quæ viderat oculis suis, & auribus audierat, revolvebat in mente, quis videlicet, qualis & quantus fuerat, quem ipsa Virgo concepit illaso pudore, & peperit sine dolore, quem etiam cum summa diligentia lactaverat, custodierat & educaverat, qui erat ei vita, dulcedo, & gaudium, & solatium, consilium, refugium & auxilium vitæ suæ. Videbat, inquam, Dominum & Deum suum, unicum suum Filium sic viliter & crudeliter pertractatum. Unde dicebat: dic, Fili dilectissime, dic amor unice, vitæ meæ singulare gaudium, unicum solatium, quare sic me dolore perimi permittis? Cur tam longè factus à me? Deus meus consolare animam meam, miserere mei & respice in me.

Dicat qui potest, cogitet quantum potest, meditetur si potest quæ doloris immensitas tunc maternam animam cruciabat. Non credo plenè enarrari vel meditari posse dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum unquam dolere potuit de tali Filio talis Mater. Veruntamen rectum erat amoris & mœroris continens modum. Non desperabat, sed piè & justè dolebat, sperans tamen firmiter fortiterque tenens ipsum secundum promissum suum tertiâ die resurgere. In ipsa enim sola in triduo illo fides Ecclesiæ stabat: & dum unusquisque hæsitabat, hæc quæ fide concepit, fidem quam à Deo semel suscepit, nunquam

nunquam perdidit, speque certissimâ Domini resurgentis gloriam expectavit. Aderant secum quædam sanctæ & pauca mulieres, parvusque virorum numerus, qui Christum Dominum cum Matre flente amarissimè flebant. Erant similiter & Angeli dolentibus condolentes. Dolebant quidem pio justoque dolore, morti compatientes Dei & Domini sui, si tamen dolore quomodolibet poterant. Sed credo, quòd gaudentes erant, eo quòd genus humanum miserum & captivum misericorditer redimebatur. Flebant & ipsi (ut arbitror) amarissimè mente turbati, videntes Dominam suam Matrem utique Dei sui tam vehementi dolore repletam, tot rivulis affluentium lacrymarum perfusam. O quis tunc Angelorum Archangelorumque etiam contra naturam suam non fleret, ubi auctor naturæ Deus immortalis homo mortuus jacebat? Videbant Christi corpus sic malè tractatum ab impiis, sic laceratum à pessimis, jacere exanime, suo sanguine cruentatum. Videbant etiam illam piissimam, illam sanctissimam, ac beatissimam Virginem Matrem ejus tantis cruciari singultibus, tam amaris repleti doloribus, tam abundantibus lacrymis madidari, sic amarissimè flere, quod nullo modo poterat suas lacrymas refrænare. Et quis poterat tunc à lacrymis se abstinere? Fiebat proindè mœror, & luctus ab Angelis ibidem præsentibus, qualis decebat Spiritus almos: imò mirarer si omnes Angeli in illa beatitudine ubi flere est impossibilè, non flevisent. Credo, propter quod & loquor, quia dolebant si dolere valebant. Sicut enim fuit possibilè Deum per assumptum hominem mori, ita fortè possibilè Angelos bonos dolere de morte Domini Dei sui.

Ioseph autem ab Arimathia vir sanctus & justus, qui corpus Christi cum Nicodemo deposuerat de cruce (sicut Evangelistæ testantur) mercatus sindonem involvit illud, pretiosis conditum aromatibus: & in monumento novo, quod sibi excide-

rat,

rat, sepelivit. Tunc Angelorum millia millium, qui ad Christi sepulchrum convenerant, dulces ei ac devotas exequias, & victoriam decantabant. Illi Domino laudes canebant, sed Maria gemitus & suspiria emittebat. Dum igitur Ioseph & Nicodemus Dominum ponerent in sepulchro, volebat simul cum illo Mater mœstissima sepeliri. Erat enim innixa super dilectum suum, quem amplectens suaviterque deosculans, sic dicebat: miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei. Illum adhuc paululum mihi relinquire, ut faciem ipsius sublato velamine valeam contemplari, & præ amore ipsius aliquantulum videndo consolari. Nolite quæso eum tam citò tradere sepulturæ, sed ipsum reddite mihi miseræ Matri suæ, ut illum mecum habeam saltem vel defunctum: aut si illum in sepulchro reconditis, ibidem me miseram Matrem cum ipso sepelite, quia malè post ipsum superero. Ut quid post ipsum vivam? Illi ponebant Dominum in sepulchro, & illa nisu quod poterat illum ad se trahere conabatur. Illa volebat eum sibi cum totis viribus retinere, & ipsi volebant eum tradere sepulturæ, sicque pialis erat, & contentio miseranda inter ipsos. Omnes tamen virgineo compatientes dolori, pio desiderio coacti sic amarissimè flebant, ut nullus eorum posset ad plenum verba formare. Videbant etenim piam Matrem omni quidem solatio destitutam, & super ipsam potiùs quàm super Dominum suum extinctum plangebant. Major illis inerat dolor de dolore Matris, quam de morte Domini sui. Flebant igitur omnes miserabili dolore gementes, cum Christum Iesum vitæ Dominum & mortis traderent sepulturæ.

Sepulto itaque Domino Mater ejus sepulchrum amplectitur, & voce qua poterat suum benedicebat Filium jam sepultum, ingemiscensque vocabat. O singularis Virgo & Mater jam dicere poterat, anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est

in cruce quando dixit: Mulier ecce filius tuus. Nunc dicere potes: quæsiui, & non inveni illum, vocavi & non respondit mihi, scilicet ad sepulchrum. Ibi sedens innixio capite manus extendebat desuper illud osculans, amarissimisque singultibus suam Filium deplorabat. Accessit autem novus Filius ejus Ioannes, cui de cruce Christus eam commendaverat diligenter, lugens & ipse inconsolabiliter: ipsam lugentem & gementem levavit. Nam cruciata gemitibus, fatigata doloribus, afflicta ploratibus, pedibus se sustinere nequibat: tamen sicut potuit à mulieribus honestis ac sanctis adjuncta, cunctis simul plorantibus Hierusalem ingreditur. Multæ autem sceminae videntes eam commotæ pietate super illius doloribus, amarum convertebantur ad luctum. Quædam verò post ipsam euntes lamentabantur & ipsa. Dolor etenim ejus cunctos intuentes dolere compellebat, vixque lacrymas continere valebant, qui eam plorantem conspicerent, tam piè plorabat, tam amarè dolebat, quòd sui ploratus pietate multos etiam invitos ad lacrymas provocabat. Fiebat planctus quacunque Maria transibat omnesque plorabant qui obviant ei.

Sic igitur perducitur à plorantibus & doctibus ipsa plorans & gemens, quousque pervenerunt ad domum Ioannis. Ibi resedit, ibi permansit, ibi in sua domo Ioannes retinuit, & super propriam Matrem in omni charitate dilexit. Erat enim sibi datus in filium, sed ipse se fecerat servulum ejus, in omnibus & per omnia sibi familiariter serviendo. Denique resurgente Filio præ nimia debilitate membrorum deficiens pia Mater ad sepulchrum ire nequibat. Tunc currentibus aliis, & unicum Filium cernentibus dicere potuit Virgo Maria. Filia Hierusalem nuntiate dilecto, quia amore langueo. O felix, ô beate Ioannes, cui talem thesaurum Dominus dignatus est commendare, ô Christi dilecte præ omnibus & prudens quem constituit Domi-
nus

nis privatum camerarium aulae suae pretiosissimae, retribuet tibi Dominus vicissitudines amoris, mercedemque dilectionis quam in ejus ac tua Matre taliter desolata usque ad finem vitae suae exhibere curasti. Benedictus quidem tu es à Domino. Benedictus à Matre Domini, quam dilexisti & cui servisti puro corde, & mundo corpore, benedicti sint omnes qui diligunt illam Matrem, & super omnia benedictus sit fructus ventris sui Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in æternum, & in secula seculorum Amen.

Sepulto itaque Domino à Iudæis signatum est monumentum, & traditum est custodibus ut custodirent illud. Interim Virgo Maria in domo Ioannis manebat, ibique jacebat, quia nimio dolore confecta non poterat nisi cum difficultate magnâ ambulare. Ibi enim die noctuque plorans gemebat, nec erat qui consolari eam posset ex omnibus charis suis, nec suae sorores, nec etiam ipse Ioannes, ibi amaro corde opprobriosam passionem dilecti Filij sui revolvebat, modò sputa, modò ludibria, modò colaphos, alapas & flagella, modò crucis angariam, modò dira clavorum vulnera, modò lanceam, modò coronam spineam, modò aceti & fellis pocula, mortem, mortem autem crucis. Hæc autem cogitando plorabat, atque plorando & ejulando clamabat: Fili mi Iesu, Iesu Fili mi, bone ac benigne, ac Creator omnium Deus, qui factus homo morte turpissima es peremptus: quem terra, pontus, æthera capere nequeunt, modò arcto clausus es sepulchro. Iacet Filius meus extinctus & sub lapidibus clausa est vita mea. Sumens enim corpus fragilitatis humanæ dignatus est ad terram descendere, & sui cum non receperunt, sed malum semper machinati sunt contra eum, in illum sæviebat Herodes tyrannus ille iniquus cum turba crudelissimâ Iudæorum: quando scilicet ad magorum verba turbatus est & omnis Hierosolyma cum illo, parvulumque & tenellum ad ube-

ra materna morte crudelissimâ perdere nitebatur. Dehinc proficiscens ætate & sapientiâ coram Deo & hominibus, factus est vir discurrens per civitates, prædicans & annuntians regnum Dei. Elementis & dæmonibus imperabat, infirmos sanabat, & mortuos suscitabat. Et cum talia faceret, sustinebat insidias, sustinebat calumnias, sustinebat blasphemias, quas principes sacerdotum, Scribæ & Pharisei & omnis populus contra ejus innocentiam invehebant: sed cum eorum perfida & perversa nequitia unci Filij mei bonitatem super excellentem sustinere non posset, ipsum auferre de terra nefariè cogitantes, ligaverunt, flagellaverunt, deturbaverunt, crucifixerunt, dilaniaverunt, & morte turpissimâ occiderunt: sicut præsens dies liquido manifestat. Ergo vos omnes fideles Christi recolite, de morte & passione Domini nostri Iesu Christi, & per totum istum venerabilem diem lacrymas fundere non cessetis, ut in die resurrectionis Domini ad laudem & honorem illius resurgere valeatis. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

*Ex Sermonibus beati Guerrici Abbatis
Igniacensis.*

TOMO VI.

Operum sancti BERNARDI ABBATIS.

SERMO I.

In Festo Purificationis B. MARIÆ Virginis.

Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris, Luc. 12.

Sint lumbi nostri præcincti, ut Purificationem Mariæ æmulemur: sint lucernæ ardentes in manibus, ut gaudium Simeonis

nis

nis lumen in manibus portantis, etiam visibili signo in nobis representemus. Simus videlicet casti corpore, & mundi corde: & Purificationem Mariæ expressimus. Simus ardentes devotione, & lucentes opere, & cum Simeone Christum portamus in manibus. Maria tamen non tam purificata fuit, quàm mysterium Purificationis commendavit; implendo legalem; significando spiritualem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ Virgo concepit, Virgo peperit, Virgoque permansit: imò quæ ipso conceptu planè purificata fuit, si quid fortè minùs antè puritatis habuisset? Quid, inquam, mundanum habuit conceptus ille, qui solus *potest facere mundum de immundo conceptum semine*, *Iob. 14.* qui fontem quo immundus purificetur, edidit; fontem domus David, qui hodieque patet, indefesseque scatet in ablutionem peccatoris, & menstruata, *Zach. 13.* Suscepit tamen Mater totius puritatis, purgationis legitimæ speciem, ut simul & obedientissimæ humilitatis virtutem, & Evangelicæ purificationis insinuaret veritatem. Ubi nunc ille, qui tam fallaciter quàm contumaciter præsumens de sanctitate, detrectat purgatoria pœnitentium remedia subire? Esto quòd sanctus sit: nunquid Sanctarum sanctissima, quæ Sanctum sanctorum peperit, Maria? Utinam Fratres mei, utinam nos illam habere-mus humilitatem in peccatis nostris, quam verè habuerunt sancti in virtutibus suis.

SERMO IV.

In Purificatione beatæ MARIÆ.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, Luc. 2.

Scriptura redemptionis nostræ narrans mysteria, sic refert quæ pro nobis historialiter sunt gesta, ut significet quæ moraliter à nobis sunt gerenda. Cùm enim hodie beatæ Purifica-

tio Mariæ recensetur, manifestè de nostra ipsorum purificatione admonemur. Quem verò tanti non moveat auctoritas exempli, cum videamus scilicet, quia illa sanctarum sanctissima quæ nihil purgandum habuit, purificationis tamen legalis implere mandatum non reuit? O Mater immaculata, Mater intacta, nonne tuæ tibi conscia es puritatis? quia scilicet integritatem tuam, nec conceptus, nec partus violavit, sed sacravit? Quare ergo tanquam muliebri aliquid in concipiendo vel pariendo sis passa, sic mundationis, quæ muliebri provisa est infirmitati, quæris remedia? Sic, inquit, decet nos omnem implere iustitiam, *Matth. 3.* ut quæ summæ Mater electa sum iustitiæ, speculum quoque sim totius & exemplar iustitiæ. Novi ego superbiam filiorum Evæ, quæ promptior est ad excusandum, quam ad expurgandum commissa. Necessarium arbitror, ut vitijis originis antiquæ statim in initiis omnia novæ generationis occurrant exempla. Mater prevaricationis peccavit & excusavit pro-caciter, Mater redemptionis non peccet, & satisfaciatur humiliter: ut filij hominum qui de matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de Matre saltem novitatis trahant humilitatem purgandi.

Est quidem & in hoc ipso multa Domini clementia erga filias Sion: sed longè clementius & mitius purificata est illa, quam beatam prædicant filij Sion. Cui scilicet dictum est *Luc. 1. Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, hæc nempe supernæ virtutis obumbratio, vera fuit Purificatio Mariæ, non ista, quæ quâdam mystica dispensatione tantum specie tenus hodiè celebrata est. Hæc planè fuit tota ac vera sanctificatio Matris & Filij, sicut & Angelus exposuit ei. Ideo, inquit, *& quod nascetur ex te sanctum; vocabitur Filius Dei.* Antea namque purificanda erat natura mortalis, ut Deum conciperet, non posteaquam concepisset: cum concepisse sanctum, sancto-
rum

rum summa sanctificatio sit; & eâ quæ Mater ipsius sanctitatis effecta sit, nihil sanctius esse possit. Cum ergo filia Sion quæ molliùs & dissolutiùs vivunt, & ardorem forsitan experiuntur carnis, meritò purificandæ sint iudicij & spiritu ardoris: Virgo perpetua, ac singularis quæ sola Spiritus obumbratione Deum concepit, solo purificata est Spiritu gratiæ & refrigerio rosis. Omnium sanè purgationum, quibus conditio reparatur mortalis hæc beatæ purificatio Virginis mitissima, atque felicissima fuit: nam illa filiarum Sion, quæ purgatio fiet igne iudicij, sicut novissima, sic & severissima omnium erit. Nec ista itaque potest esse nobis nisi admirationi, nec illa nisi formidini: quippe qui nec ad istam possumus aspirare, & in illam si sapimus, semper formidamus incidere. Omnino si sapimus, semper clamabimus, plus emendatione morum, quàm strepitu verborum, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me, psal. 6.*

SERMO I.

In Annuntiatione Dominica.

Opportunè nobis in his diebus Quadragesimalis observantiæ, solennitas intervenit Dominicæ Annuntiationis; ut qui fatigantur afflictione corporali, gaudio recreari valeant spirituali: & quos humiliavit pœnitentiæ luctus, annuntiatio illius qui tollit peccata mundi, consoletur: sic quippè scriptum habes, *Prov. 12. Mæror in corde viri humiliabit eum; & sermone bono letificabitur.* Prorsus sermo bonus, sermo fidelis, & omni acceptione dignus. Evangelium nostræ salutis: quòd Angelus missus à Deo, hodiernâ die Mariæ evangelizavit, ac lætum de Incarnatione Verbi, dies dieci, Angelus Virgini verbum eructavit. Sermo ille dum Filium promittit Virgini, veniam pollicetur reis, redemptionem captivis, ad apertionem clavis, vitamq; sepultis

sepultis, sermo ille dum Filij regnum prædicat, iustorum quoque annuntiat: terret inferos, lætificat cœlos: & sicut cognitione mysteriorum, sic etiam novitate gaudiorum perfectionem auxisse videtur Angelorum. Quem ergo non lætificet ille sermo bonus in afflictione sua, quem non consoletur verbum illud in humilitate sua? *Memor esto*, inquit David *Psal. 118. verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti; hæc enim me consolata est in humilitate mea.* Verbum tantum promissionis acceperat, sed nullo adhuc indicio sese effectus prodebat. Affligebat eum dilatio voti, sed consolabatur certitudo spei ex fide promittentis.

Si ergo David sola spe salutis hujus, quæ nobis servabatur, animum pascebat: quod gaudium, quæ delitiæ, rei ipsius exhibitio nobis esse debuerat? O felicitas temporum istorum! ô infelicitas temporum istorum! an non felicitas temporum, in quibus tanta plenitudo gratiæ & omnium bonorum? An non infelicitas temporum, in quibus tanta ingratitude redemptorum? Ecce enim venit plenitudo temporis, in quo mittit Deus Filium suum, ut fiat Filius hominis, hominumque Salvator: & ecce magnitudine temporis, ut Salvatorem suum fastidiat homo peccator. Annuntiat salus perditis, & contemnunt: promittitur vita desperatis, & negligunt: venit Deus ad homines, & non assurgunt. Assurgit, qui aliqua devotione se erigit, ut det gloriam gratiæ Dei: assurgit, qui saltem cum gaudio suscipit verbum propriæ salutis. Scio autem scio, quis est qui lætificatur illo sermone bono. Ille proculdubio quem prius humiliavit pius mœror in corde suo, mœror de peregrinatione & exilio, mœror de vinculis mortis, & periculis inferni; qui mœrens quotidie plangit, quod præoccupaverint eum laquei mortis, & pericula inferni invenerint. Huic nimirum jucundus advenit hodiernus ille Nuntius de cœlo, hic gratulabundus excipit sermonem de Dei Filio: huic, inquam, lugenti & mœrenti quòd

quòd tantis sit malis præventus & circumventus, non sine gaudio liberator annunciat: qui oleum gaudij daturus est pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris; qui videlicet finem dabit miseris, & sine fine beatitudinem dabit miseris. Beati ergo qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: beati quos humiliavit pius mœror in corde suo, quoniam lætificabuntur sermone bono. Bonus planè sermo & consolatorius omnipotens sermo tuus Domine, qui hodiè à regalibus sedibus venit in uterum Virginis, ubi etiam sedem sibi regalem exstruxit, in qua cùm etiam nunc sedeat, quasi Rex circumstante exercitu Angelorum in cœlis, est tamen mœrentium consolator in terris.

Regali siquidem ex progenie Virgo electa est, generositate quidem regis nobilis proles, sed virtutis regis nobilior indoles: ut æterno Regi filio Regis, materna quoque nobilitas regium honorem defenderet, & venientem à regali sede Patris, regalis etiam thronus in aula virginali Reginæ susciperet Matris. In ipsa quippe, & ex ipsa Sapientia ædificavit sibi domum Prov. 9. in ipsa, & ex ipsa paravit sibi thronum: cùm in ea & ex ea corpus aptavit sibi ita ad omnia perfectum & congruum, ut & domus sit ei ad quiescendum, & thronus ad iudicandum, quod primò tabernaculum ei fuit ad pugnandum, & cathedra ad docendum. Vide autem ne fortè ipsa sit *sedes David patris eius*, quam ei dandam promittit Angelus Luc. 1. non quòd David in ea sederit: sed quòd ex semine David assumpta & fabricata sit. Et certè si sedes David non est, tamen sedes tua Deus in sæculum sæculi ipsa est. Si solium David non est; certè solium excelsum & elevatum super omnem creaturam ipsa est. Si quis autem etiam thronum illum grandem 3. Reg. 10. *quem rex Salomon sibi fecit de ebore*, corpus ipsum interpretetur, quod pacificus noster hodie sumpsit ex Virgine, non multum à vero videbitur abhorre: quandoquidem & illud, quod sequitur, *& vestivit eum auro fulvo*

ro fulvo nimis, eidem satis congruit: quod jam Dominus decorem induit fulgoris intolerabilis. *Vestivit*, inquit, *eum auro fulvo nimis*. Prorsus si interrogas oculos Apostolorum, qui transfiguratum in monte viderunt Matt. 17. confitebuntur aurum nimis esse fulvum, id est fulgorem corporis esse nimium, quem ferre nequiverunt, quamvis *Nimis* pro *valde* ponere, consuetudinis sit Scripturarum. Cætera namque, quæ prosequitur Scriptura de illius throni magnificentia 3. Reg. 10. accommodatius, nisi fallor, si quis tractare voluerit, accipientur de corpore Christi, quod est Ecclesia.

Mihi sanè magis mirari modò libet illud ebur tam pretiosum, imò & impretiabile virginalis castimonix, de quo scilicet sedem sibi facere delegit, qui sedet super Cherubim: *hec*, inquit, inquit Ps. 131. *requies mea in seculum seculi, hic sedebo, quoniam elegi eam*. Quàm nitidum ebur illud, quod oculis tanti, tamque divitis Regis placuit, in cuius diebus argentum nullius est pretij! quàm frigidum, quod nec à conceptu incaluit! quàm solidum, quod nec partus violavit! quàm candidum simul & rubicundum, quod candor Lucis æternæ, ignisque Spiritus sancti, universa sui plenitudine replevit! Maria siquidem & ipsa candidior nive, rubicundior ebore antiquo, cui scilicet incomparabilem & castitas candorem, & charitas seu martyrium rutilantem præ antiquis electis noscitur contulisse ruborem. Nam & suam ipsius animam pertransivit gladius, ut Mater summi Virginis & Martyris, esset & virgo ipsa & martyr, candida & rubicunda, quemadmodum & dilectus ejus candidus & rubicundus Cant. 5. Denique sicut Salomon in omnibus thesauris suis, & opibus tantis nihil habuit tam pretiosum, quod in opus illud, magnificentum thronum scilicet gloriæ suæ judicaret ebori præferendum: sic Maria singularem præ omnibus Electis Angelorum & hominum invenit gratiam apud Deum, ut videlicet Dei conciperet & pareret

reret

eretur Filium, atque ex ebore corporis ejus thronum sibi virtus Altissimi, sine manibus excideret gloriosum. Gloriosus prorsus ille thronus, ac mirabilis, de quo Scriptura perhibet 3. Reg. 10. *quia non est factum tale opus in universis regnis*: quod facile testimonij probaretur Angelorum, qui semper & infatigabiliter in gloriam & decorem dominici corporis prospicere concupiscunt. Quia enim in universis regnis non est tale opus factum, quicquid factum est, flectat ei genu in omnibus regnis, caelestium, terrestrium, & infernorum. Quam beatus igitur ille venter eburneus, unde caro eburnea sumpta est Redemptoris, pretium animarum, miraculum Angelorum, solium summæ majestatis, thronusque potestatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis! *Quotquot*, inquit Marc. 6. *tangebant eum, sanabantur à languoribus suis: nam virtus de illo exibat, & sanabat omnes* Luc. 6.

Beatus igitur venter, qui te Domine Iesu portavit, felix castitas uteri virginalis, quæ huic operi materiam ministravit. Felix prorsus, Fratres mei, nitor illius eboris, id est, candor castitatis: cui nec aurum mundanæ sapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicujus excellentis gratiæ, nostri præfert electio Salomonis: si modò tamen castitas humilitate commendetur, quia humilitatem ancillæ suæ respexit Dominus, *Luc. 2.* Proinde namque Salomon cum in carmine amoris, castitatem prædicaret Virginis, seu sponsæ videlicet seu sponsi, quia quorum spiritus unus & caro una, in plerisque etiam laus una, ut castitatem illius adornatam, nostramque adornandam etiam alijs virtutibus doceret, ait Cant. 5. *Venter ejus eburneus, distinctus saphiris.* Ut autem noveris, quia castitas aliarum virtutum seu gratiarum sit receptaculum, apothecæ aromaticæ seu unguentariæ nostri Salomonis non nisi domus eburnæ sunt, sicut David in illo Epithalamio cecinit, quod inscriptio tituli, *Canticum pro dilecto,*

lecto, de sponso Ecclesiæ accipiendum ostendit. *Myrrha*, inquit Psal. 44. *Et gutta, et cassia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filie regum in honore tuo*, Corpora siquidem eburnea sanctorum, domus Christi sunt; vestimentum Christi sunt; membra Christi sunt; templum Spiritus sancti sunt. Ab his vestimentis Christi, ab his domibus eburneis spirat ei omnis fragrantia virtutum & charismatum, ex quibus delectant & honorant regem regum Filie Apostolorum & Prophetarum. Probastis & ipsi, Fratres mei, ex quo cœpistis possidere unusquisque vas suum in sanctificatione & honore, non passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum 1. Thess. 4. quid unguenterum, quid odoramentorum divinâ largitate sit infusum; quomodo corpus, quod erat sentina sordium, nunc Spiritus sancti sit venerabile sacrarium: & quod erat vorago flagitiorum, nunc quædam sit apotheca gratiarum.

Myrrha, inquit, *Et gutta et cassia à vestimentis tuis, à domibus eburneis*. Inhabitamus quidem domos luteas; sed quæ materiæ qualitate sunt luteæ, continentie virtute fiunt eburneæ: ex quibus si myrrha prima spirare cœperit per mortificationem voluptatum, consequentur & aliæ species aromaticæ, multiforem virtutum gratiam spirabunt. Spirabunt autem Christo delectabiliter tanquam de vestimentis suis, spirabant etiam longè lateq; proximus tanquam bonus odor Christi in omni loco. Horum vestimentorū Christi fragrantia statim ut sensit Isaac, *Ecce*, inquit Gen. 27. *odor filij mei, sicut odor agri, cui benedixit Dominus*, Sed & sponsus ad sponsam, quæ etiam corpus & vestimentum ipsius est, loquitur dicens Cant. 4. *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*. Quem nimirum odorem thuris sponso gratissimum, pietas, ô fratres, vestrorum spirabit cordium, si ita fragrans & devota fuerit, ut dirigatur oratio vestra, sicut incensum in conspectu Altissimi, & ascendat coram eo *sicut virgula fumi*

ex

ex aromatibus myrrhæ & thuris, Cant. 3. Et quidem myrrha fragrat ei de corporibus vestris; fragrat utique & mihi: utinam ita & thus fragret de cordibus vestris, quatenus sponsus probans vos sicut castos, sic etiam devotos, frequentius vos sua visitatione dignetur, & dicat, *Ibo mihi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, Cant. 4.* Videtur tamen sermo iste, prophetia hujus esse dici, per Salomonem olim prædicta, per Jesum hodie impleta. Hodie namque venit in illum montem altissimum montium, montem non modò myrrhæ & thuris, sed & omnium aromatum: dico autem Virginem virginum, omnium plenam gratiarum, inter quas tamen præcipuè, nisi fallor, redolebat sponso myrrha castitatis, & thus pietatis. Odor iste, fratres mei, super omnia aromata; odor iste Dominum majestatis de excelsis attrahit & invitat, ut inclinè cælos & descendat, sicut probat dies hæc, cùm Altissimus Angelo misso de cælis, ipse quoque descendit in uterum Matris, qui semper manet in sinu Patris, cum quo vivit & regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De Annuntiatione Dominica.

Hodie verbum caro factum est, & habitare cœpit in nobis, secundùm regulam scilicet sanè fidei, quam ecclesiasticorum dogmatum diffinitio tradidit nobis. Firmissimè namque tenet, & nullatenus dubitat Ecclesia carnem Christi non prius conceptam, quàm à verbo susceptam: sed ipsum verbum Dei carnis acceptione conceptum, carnemque verbi incarnatione conceptam. Hodie itaque Sapientia ædificare sibi cœpit domum corporis nostri in utero Virginis, & ad ædificandam unitatem Ecclesiæ, angularem lapidem de monte sine manibus *Dan. 2.* abscidit: dum sine opere humano de corpore virginali

Bb 3

carnem

carnem sibi nostræ redemptionis separavit. Ab hoc ergo die Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob: quia hodie Domini est assumptio nostra, ut inhabitet gloria in terra nostra. Prorsus hodie benedixisti Domine terram tuam, illam benedictam in mulieribus. Hodie dedisti benignitatem Spiritus sancti, ut terra nostra daret benedictum fructum ventris sui, & rorantibus cœlis desuper uterus virginalis Salvatorem germinaret. Maledicta terra in opere prævaricatoris *Gen. 3.* quæ etiam exercitata, spinas & tribulos germinat hæredibus maledictionis: At nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quæ remissionem peccatorum fructumque vitæ parturit universis, & filijs Adæ præiudicium originalis dissolvit maledicti. Prorsus benedicta illa terra, quæ omnino intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore cœli Salvatorem germinat, & mortalibus panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ ministrat. Hæc itaq; terra, quia inculta erat, videbatur esse deserta, sed erat optimo fructu referta: videbatur esse eremus solitudinis, sed erat Paradisus beatitudinis. Planè hortus deliciarum Dei; eremus, cuius campi germinaverunt germen odoris; planè desertum refertum, de quo agnum dominatorem terræ Pater emisit. *Emitte*, inquit *Esā. 16.* *agnum Domine de petra deserti*, id est, absconde petram de petra, sanctum & inviolabilem sancta & inviolata proferat virginitas. Sanè in hoc ipso satis decenter Christi occasus ortui, sepultura respondet conceptioni: dum videlicet emittitur Agnus de petra deserti, condendus in petra monumenti: & cuius corpori monumentum excidendum erat in petra, ipse ab initio conceptus sui, & corpus sibi excidit de petra, & corpori locum in petra: sic integritatem petræ, cum de ea emitteretur, non imminuens, sicut nec signatam sepulturæ petram, cum de ea egrederetur, aperiens.

Si ergo *Petra Christus*, ut ait Apostolus *1. Cor. 10.* non degenerat

nerat à Matre Filius, quando & ipsa petrae nomine censetur. An non rectè vocatur petra, quæ & in amorem integritatis proposito firma, affectu solida, sensu quoque ipso adversus illecebram peccati tota insensibilis erat & lapidea. An non rectè Petra virginalis integritas, quæ & nihil parit, per naturam sui, & cum parit, roris virtute divini, nec admittens conceptum, nec emitens partum novit aperiri? Sed *aperiatur terra*, inquit Esaias *Es. 45. aperiatur & germinet Salvatorem*. O sancte Esaias, qui dicis, *aperiatur*, quid ergo est, quod Dominus ad Ezechielem testatur *Ezech. 44. Porta hæc clausa erit, & non aperiatur?* An tibi reseratum fuit tantummodo consilium facundandæ Matris, & clausum tibi fuit mysterium clausæ perenniter integritatis? Absit, inquit, nemo magis quàm ego conscius hujus secreti. Quomodò enim me latuisset perpetuæ virginitatis mysterium, qui tantò antè prædixi, *Ecce virgo concipiet & pariet filium, Esa. 7.* Quæris igitur, quomodo dicamus; ego, *aperiatur*: ille, *non aperiatur*? Non aperiatur viro, aperiatur Domino: sicut ibidem ad ipsum dicitur Ezechielem, *vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam*. Aperiatur autem Domino non virginalis integritas corporis, quia sicut Ezechiel post prædicta subdidit: *Hæc clausa erit ipsi etiam principi*; sed aperiatur auris & porta cordis: quia videlicet intravit per aurem Virginis Verbum incarnandum, & exivit per clausam portam corporis incarnatum. Omnipotens namque verbum Dei etsi infirmitatem nostram suscepit, nihil tamen de sua sibi omnipotentia minuit, quò minus contra naturam carnis, & supra intelligentiam sensus nostri, corpus suum palpabile per clausam posset & integra trajicere, sicut etiam ad discipulos ingrediens januis clausis, oculis probavit, quod ratio non capit.

Secura igitur ô Virgo intemerata, ô porta sanctuarij perenniter clausa, *secura aperi Domino Deo Israël*, qui tibi jam dudum

dum clamat *Cantic. 5. Aperi mihi soror mea, amica mea.* Non est quod timeas integritati tuæ, Deus non novit integra violare, sed violata consolidare. Si verbo Dei apta es, tum demum non modò clausa, sed & signata es. *Pone me, inquit Ibid. 8. ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Jesus quippe impressus in corde, expressus in opere, sigillum planè & munimentum est inviolabile castitatis sponsæ suæ, & eo ipso quo se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam. Sit ergo ô Virgo fidelis, auris tua aperta ad audiendum, & mens tua ad credendum: aure percipe verbum Angeli, & corde suscipe verbum Altissimi, & corpore concipe Filium Dei. Dic & tu ô beata tam humilis quàm fidelis, dic *Esa. 50. Dominus aperuit mihi aurem ego autem non contradico, retrorsum non abii. Ecce Ancilla Domini, Luc. 1. præsto sum ejus voluntati, quinimò juvabo votis, si possum, fiat mihi secundum verbum tuum.* Hoc dicere, sic suam devotionem offerre, istud planè est Domino pectus aperire, istud est etiam os aperire, & Spiritum attrahere. Sic profectò aperiēbatur terra: ut quem roabant cœli de super, susciperet rorem, & germinaret Salvatorem. Nobile germen, germen justum, germen odoris, germen Domini, quod jam est in magnificentia & gloria, cùm idem fructus terræ sublimis est super omnia, id est, exaltatus est super cœlos Deus, & super omnem terram gloria ejus. Nihil enim interest, sive germen, sive fructum, aut florem dixeris, cùm hæc omnia, imò infinita alia unus Christus sit: res una, sed multiformis gratia, & virtutis unius operatio multifaria: cui si infinita nomina paupertas humani sensus & sermonis, pro similitudine commodaverit, rei tamen implere significationem non poterit. Benè autem simul vocatur germen, & flos & fructus, quia sine gradu profectus, ab initio conceptus sui omni virtute & gratia in seipso extitit perfectus. In nobis enim primum ipse *germen* est, cùm fides in confessionem

fessionem prorumpit, vel opus manifestum: postmodum *flos*, cum super proficientem efflorescit sanctificatio Dei quodam spectabili decore virtutum: demum autem *fructus*, cum beatitudo sariat hominem consummatum. Pulcherrimè sanè ac vigilantissimè, non solum mysteria, sed & mysteriorum prælagia dispensatio præordinavit divina, ut locus, in quo terra genuerit Salvatorem, germen iustum, & flos de virga & radice Jesse ascendit, Nazareth, id est sanctitas, germen, flos, virgultum vocaretur: ut videlicet negotium loco, locusque negotio consona voce contestaretur, pariterque & nomen loci rem gerendam pronuntiaret, & res gesta causam nominis indicaret.

SERMO I.

In Assumptione S. MARIE.

Veni electa mea & ponam in te thronum meum.

Multi vocati pauci verò electi. *Beati quos elegisti Domine, habitabunt in atrijs tuis. psal. 64.* imò tu in eis habitabis, tu in eis regnabis thronumque regni tui in eis collocabis. Sanè omnium beatorum beatissima est Maria quæ de numero omnium electorum singulariter est electa & præelecta, quoniam elegit eam Deus, elegit eam in habitationem sibi dicens *psal. 131. Hec requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* Habitavit in ea novem mensibus, habitavit cum ea, & sub ea annis pluribus. Habitans in ea replebat eam singulari gratia charismatum, habitans cum ea pascebat eam incomparabili piorum suavitate morum, & divinorum desiderabili sapientia sermonum. Nunc autem in ea & cum ea, sicut interminabili ævo, sic incomprehensibili modo habitans, sariat eam beatificantium gloria visionum: foris quidem glorificatæ carnis formam exhibens, intus autem formam verbi glorificantis imprimens.

Cc

O Maria

O Maria non vocaberis, ait Dominus Esa. 62. *ultra derelicta, & terra tua non vocabitur ultra desolata*, ut quia Virgo, ideo sis infœcunda: sed *vocaberis voluntas mea*, id est, dilectus filius meus in ea, *quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur*. Habitabit enim juvenis in Virgine, & habitabit in te Filius tuus, imò si magis placet ut non recedamus à verbis scripturæ, *habitabunt in te filii tui*.

Quid hæretice caput erigis? quid mysterium pietatis ad occasionem perfidiæ rapis? Unum quidem genuit, qui sicut unicus est Patri in cœlis: ita unicus est matri in terris. Neque enim sicut tu impiè blasphemus, alios postea filios genuit: sed intermeratum manet, sicut signaculum perpetuæ virginitatis in matre: ita sacramentum catholicæ unitatis in prole. Ipsa tamen unica Virgo Mater, quæ se Patris unicum genuisse gloriatur, eundem unicum suum in omnibus membris ejus amplectitur, omniumque in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, Matrem se vocari non confunditur. Eva vetus illa, non tam mater quàm noverca, quæ filijs antè propinavit præjudicium mortis quàm initium lucis, dicta est quidem mater cunctorum viventium *Gen. 3.* sed inventa est verius interfectrix viventium, seu genitrix morientium: cum suum generare nihil aliud sit, quàm mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista implevit mysterium quæ & ipsa sicut ecclesia, cuius forma est, Mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est vitæ, quâ vivunt universi: quam dum ex se genuit, nimirum omnes, qui ex ea victuri sunt, quodammodo regeneravit. Unus generabatur, sed nos omnes regenerabamur: quia videlicet secundum rationem seminis, quo regeneratio fit, jam tunc in illo omnes eramus. Sicut enim in Adam fuimus ab initio propter semen carnalis generationis: sic in Christo ante initium, propter semen spiritualis regenerationis.

Porro

Porrò beata Mater illa Christi, quia se matrem Christianorum cognoscit ratione mysterij: curâ quoque se matrem eis præstat & affectu pietatis. Neque enim duratur ad filios, quasi non sint sui, cujus viscera semel quidem facta, sed nunquam effecta, nunquam desinunt fructum parturire pietatis. Benedictus siquidem fructus ventris tui, gravidam te ô pia Mater, inexhaustâ pietate reliquit; ex te quidem semel nascens, sed in te semper manens & affluens, & in horto concluso castitatis, fontem signatum charitatis semper abundare faciens: qui licet signatus sit, foras tamen derivatur, & in plateis aquæ ejus nobis dividuntur. Licet namque fons charitatis proprius Ecclesiæ, incommunicabilis sit alienis, beneficium tamen ejus impartire gaudet etiam inimicis. Denique si servus Christi filiolos suos iterùm atque iterùm parturit *Gal. 4.* curâ atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus; quantò magis ipsa Mater Christi? Et Paulus quidem genuit eos, verbum veritatis quo regenerati sunt prædicando: Maria autem longè diviniùs atque sanctiùs verbum ipsum generando. Laudo quidem in Paulo prædicationis mysterium, sed plus miror ac veneror in Maria generationis mysterium.

Vide autem si non & Filij Matrem videntur agnoscere, distante utique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, ut ad invocationem nominis ejus, primò vel maximè refugiant in omnibus necessitatibus & periculis, tanquam parvuli ad sinum Matris. Undè nimirum de his filijs puto non absurdè intelligi, quod per Prophetam promissum est *Esa. 62. Habitabunt in te filij tui:* salvo duntaxat intellectu, quo de Ecclesia hæc propheta principaliter accipitur. Et nunc siquidem habitamus in adjutorio Matris Altissimi, in protectione ipsius commoramur, tanquam sub umbra alarum ejus: & postmodùm in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confovebimur. Tunc erit vox una

letantium & aggratulantium Matri psal. 86. *Sicut letantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei Genitrix.* Nullatenus autem credideris majoris esse felicitatis & gloriae habitare in sinu Abrahamæ, quàm in sinu Mariæ, cum thronum suum in ea posuerit Rex gloriae.

Veni, inquit, electa mea, & ponam in te thronum meum. Non poterat signantiùs, aut elegantius describi prerogativa gloriae ejus, quàm ut thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ tantâ plenitudine, aut familiaritate copiam sui divina majestas videtur indulgere, sicut illi in qua specialiter præ cæteris residere delegerit. Discipulis quidem Dominus loquebatur, qui pauperes facti pauperem sequebantur Matt. 19. *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede Majestatis suae, sedebitis & vos super sedes.* Alibi quoque promittit idem Agonotheta noster, de cælo spectans & incitans decertantes. *Qui vicerit, inquit Apoc. 3. dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici & sedi in throno Patris mei.* Matri verò cujus longè differens est meritum, nihilominus differens promittit præmium. *Veni, inquit, electa mea: & ponam in te thronum meum.* Parum est, inquit, ut judicanti confedeas, nisi & ipsa mihi sedes fias: ut majestatem regnantis eò feliciùs quò familiariùs in te contineas, & specialiùs præ cæteris incompræhensibilem comprehendas. Continuisti parvulum in gremio: continebis immensum in animo. Fuiisti diverforium peregrinantis: eris palatium regnantis. Fuiisti tabernaculum pugnaturi in mundo: eris solium triumphantis in cælo. Fuiisti thalamus sponsi incarnati: eris thronus Regis coronati.

O Fili Dei nihil tibi in illo tuo displicuit hospitio: quod tam libenter repetit, tamque affluenter remunerat tua dignatio. Nihil utique in illo sordidum offendisti, quia nulla erat libido, sed purissima castitas: nihil ruinosum, quia nulla erat superbia sed fundatissima humilitas: nihil obscuro, quia exclusa erat infidelitas,

infidelitas, nihil angustum, quia diffusa erat charitas. Adornaverat thalamum Virgo prudentissima, te Regem Christum non solum hospitem susceptura: sed & sponsum habitura. Adornaverat, inquam, multiplici decore virtutum & gloria, tanto fortasse locupletius, quanto interius totum erat Psal. 44. Hunc ornatum mirabatur qui dicebat. *Omnia gloria eius filia regis ab intus in fimbrijs aureis, circumamicta varietate.* Et alius, *O quam pulchra est casta generatio cum claritate* Sap. 4. Domum tuam decet Domine huiusmodi sanctitudo & decor. Is decor te invitavit, ut intrares: illexit, ut redires. Intrans benedictionis gratiam multiplicasti, sed rediens cumulasti. Cum intrasti, homo natus es in ea: cum redisti, Deus glorificatus es in ea. Tunc tibi posuisti in ea sacrum gratia: nunc autem thronum gloriae.

Dicuntur quidem & sunt alij throni, quidam scilicet Spiritus divini, praeter alijs, ut putamus, subjectis ordinibus, Dei praesidentis maiestate pleni: quorum quae sit praerogativa scriptura non exprimit, licet innuat ex vocabulo quod nonnulla sit. Sed & anima cujuslibet iusti dicitur sedes sapientiae. Quae autem nunc est sedes sapientiae, profecto tunc erit & gloriae. Si igitur illud caeli palatium plenum sedibus & thronis, sedeatque Deus in omnibus, accommodans se & aptans cuique pro meritis. Non immerito tamen creditur, sine injuria vel invidia caeterarum sedium quoddam esse speciale Regis solum excelsum & elevatum super gloriam omnium, Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, ut nihil contempletur supra se Mater nisi Filium solum; nihil miretur supra se Regina nisi Regem solum; nihil veneretur supra se Mediatrix nostra nisi Mediatorem solum: cui nos ipsa precibus suis conciliet, commendet, & repraesentet unico Filio suo Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

SERMO II.

In Assumptione beatæ MARIÆ.

Filia Hierusalem nuntiate dilecto, quia amore languo.

Verba ista quæ à nobis hac nocte cantata sunt, qualiter ad Assumptionem beatæ Mariæ possint videri pertinere, volumus si placet cum vestra charitate tractare. Id autem eo genere sermonis faciendum videtur, quo non modò sæcularium, sed etiam Ecclesiasticarum auctores litterarum nonnunquam usi sunt: maximè in tractandis canticis, undè hæc sunt sumpta. Hoc namque genus sermonis, salvâ veritate quadam ampliori utitur libertate, cum videlicet sumpto themate causæ, ut beatus Hieronymus ait, non tam loquitur quæ revera facta vel dicta sint, quàm ejusmodi fuisse negotium ostendit; ut ea quæ dicuntur, & si facta vel dicta non fuerint, fieri tamen vel dici potuisse, aut etiam in affectu facientis, vel dicentis fuisse non absurdè credi possint. Maria igitur migratura à corpore decumbebat, ut est humana infirmitas. Porro filia Hierusalem quæ sursum est, id est Angelicæ virtutes, scientes nimirum quia obsequiis Matris captanda est gratia Filij, visitabant satis officiosè Dominam suam. Matrem Domini sui. Et fortassè aliquid hujusmodi primò post salutationis officia locuti sunt ei Angeli: sicut speciem humano vultui, ita sermonem humano nimirum conformantes affectui vel usui.

Quid est obsecro mi Domina, quòd sic ægra videris & languida? Quid est quòd præter solitum tristis & pigra, ab heri & nudius tertius sicut solebas non sancta revisis loca, quorum contemplatione amorem tuum pascebas? Jam per aliquot dies non vidimus te, aut rupem Calvariæ ascendentem, ut ibi locum crucis impleres lachrymis; aut ad sepulchrum Filij adorantem
gloriam

gloriam resurrectionis; aut in monte Oliveti deosculantem extrema vestigia ascendentis. Ob hoc ipsum siquidem creditur in valle Iosaphat commorata (ubi & sepulchrum ejus monstratur, ut ait beatus Hieronymus) in Ecclesia miro lapideo fabricata tabulatu: ne scilicet à sanctis locis longiùs recederet, sed sæpiùs ea invisens, licet omnia memoria teneret, formam tamen gestorum velut corporaliter in ipsis effigiatam locis dulciùs amplecteretur, ut vel sic suum aliquatenus amorem solaretur.

Causam itaque percunctantibus illis, cur ab his modò vacaret, & ex toto decumberet: languero, inquit. Pape langues? languor enim quem locum in corpore tuo reperit, in quo salus mundi tam diu habitavit? De corpore illius Filij tui virtus exibat & sanabat omnes, adeò ut etiam simbria vestimenti Hæmorrhoißam sanaret Matth. 9. & tu quæ tam diu ipsum in utero, ulli infirmitati, aut languori, vel accessibilis esse potuisti? Non est, inquit, quòd id miremini: si illud ipsum corpus Filij mei, quale aliquando fuerit recordemini. Et ipsum enim quàm infirmum, quantisque defectibus subditum fuerit, voluntate tamen, ego novi quæ ipsum in utero alui, uberibus lactavi, sinu fovi: nec solius infantia, sed & sequentium defectus ætatum vidi, & eis ut potui ministravi: ad extremum non sine passione mea, ludibria & supplicia passionis & crucis aspexi, per singula discens quàm verè de eo noster Esaias dixerit Esa. 53. *Verè languores nostros ipse tulit: & dolores nostros ipse portavit.* Cur ego doleam non eum meo dedisse corpori, quod suo non dedit? Non sum ita delicata aut superba: ut quod ille dignatus est pati, ego quantulacunque ex parte, pati non possim aut nolim, Et ille quidem misericordie voluntate, ego naturali necessitate. Sanè aliud est sanitas, aliud est sanctitas. Sanctitatem dedit corpori meo, concepti sui corporis sacramento: sanctitatem se daturum promisit, suscitati

fulcitati corporis exemplo. Deniq; ut minus miremini languorem meum: amore langueo: langueo plus impatientiâ amoris, quàm passione doloris. Plus vulnerata charitate: quàm gravata infirmitate.

Heu inquit illi, quàm frequentes imò continuæ causæ languoris! Bone Jesu quomodo hæc Mater tua postquam te genuit, nunquam ferè nisi in languore fuit! Primò languit timore, postea dolore, nunc amore. *Timore* à nativitatè usque ad passionem; cùm semper vitam Filij insidijs appeti videret: *dolore*; toto tempore passionis, donec redivivum reciperet: nunc *amore* & desiderio feliciùs sed mirabiliùs cruciatur, quia sedentem in cælo non tenet. Quomodo Jesu bone qui summi fructus es gaudij, tam longi factus es illi causa martyrij, ut charissimam tibi ipsius animam, tot & tam acuti sine cessatione pertranscant gladij! sed obsecramus te Domina, quid vis faciamus tibi? Vis saltè ut resideat hic iste Gabriel symmistes tuus, ut assideat & ministret tibi, qui custos quoq; tui cubiculi meruit deputari? Non opus est, inquit. Sufficit mihi Virgo, meus novus in carne Angelus, Discipulum dico quem diligebat Iesus, cujus me dilectionis hæredem reliquit, cùm illum mihi & me illi in cruce commendavit: cujus obsequio nihil mihi gratiùs, quia conversatione & affectu nihil castiùs, moribus nihil suaviùs, nihil sinceriùs fide nihil sanctiùs sermone. Nos ergo, ajunt illi, in quo tibi poterimus esse officiosi? *Filia*, inquit, *Hierusalem*, *nunciate dilecto*, quia *amore langueo*. Ipse novit quomodo meo medendum sit languori.

At nosti, inquit, quia cùm sciat omnia, de multis quasi nescius interrogat. Si ergo quæserit, quid illud sit quod tuo vulnere velis adhiberi, quid respondebimus ei? Sodales, inquit estis sponsi. Gabriel iste meus paranympus; non puto vobis esse celandum amoris mysterium. Dicam igitur tantùm ne judicet temeraria, quòd majora me quærere videar. *Osculetur me osculo*
oris

oris sui. Si quid mihi conscia essem, contenta essem cum Maria Magdalene osculo pedum, ubi indulgentia sumitur delictorum. Sed quia in omni vita mea non me reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris, gratiam gaudiorum. Cur autem arrogans videar, si illud mihi os reposco, quod de me sibi formavit ipse conditus & conditor? Cùm parvulum tenebam inter brachia, quotiens osculari speciosum formâ præ filiis hominum mihi libebat, satis licebat: nunquam faciem avertebat, nunquam Matrem repellebat. Et si fortassis impatientiâ desiderij eram nimiâ: ipse tamen more suo, morem Matri gerebat. Gaudebat eam replere gratiâ, quæ diffusa erat in labijs ejus, & dulcedine quâ totus erat plenus, totus concupiscentia & desiderium, castarum scilicet animatum. Undè sicut ipse de se confiretur Eccl. 24. *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient:* quantò gratiam oris illius gustavi suaviùs, tantò nimirum repero nunc ardentius. Crevit quidem gloriâ & majestate: sed nihil ab illa ingenitâ mutatus est mansuetudine & bonitate. Nihil ad illum illud superbiæ secularis elogium: *Honores mutant mores.* Sublimior est, sed non superbior: Gloriosior sed non dedignantior. Non fastidiet Matrem quam elegit, nec æternam electionem suam novo judicio reprobabit.

Ne timeas Maria, ait Gabriel more suo: invenisti enim gratiam apud Deum. Etiam in cæteris qui longè jacent tuis sub vestigijs, probare consuevit improbitatem hujus affectus & precis: qui nihil nimium, aut injuriosum sibi deputat, quòd in eum vera duntaxat charitas præsumat. Et conversus ad sociam multitudinem, eamus, inquit, eamus: ne ipsi Filio facere videamur injuriam, si gloriam Matri differamus. Cùm ergò reversi nunciassent hæc Domino suo, quid putamus Iesum nisi tale aliquid locutum.

Ego sum qui patrem & matrem filijs honorandos commendavi,

Dd

mendavi,

mendavi, ego ut facerem quod docui, & exemplo essem aljis, ut patrem honorarem, in terram descendi: nihilominus ut matrem honorarem, in cœlum reascendi. Ascendi & præparavi ei locum, thronum gloriæ: ut à dextris Regis regina coronata consideat in vestitu deaurato, circumdata varietate: Neque hoc dico quod in parte thronus ei collocetur: quin potiùs ipsa erit thronus meus. Veni igitur electa mea, & ponam in te thronum meum. In te mihi quandam regni sedem constitutam, de te iudicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plus ministravit in humilitate mea. *Communicasti* mihi præter alia quòd homo sum: communicabo tibi quòd Deus sum. Flagitabas osculum oris, quin imò tota de toto osculaberis. Non imprimam labia labjis, sed spiritum spiritui osculo perpetuo & indissolubili. Quia concupivi speciem tuam, etiam desiderantiùs quàm tu meam, nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu conglorificeris.

Gloria tibi Domine Iesu, subintulit chorus Angelorum. Gloria tibi Domine Iesu, ingeminet cœtus fidelium. Glorificatio Matris tibi proficiat ad gloriam, nobis ad veniam: te præstante cui est honor & gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

EX SERMONE III.

In Assumptione beatæ MARIÆ.

§. tertius.

In omnibus requiem quæsvi.

SI quis tamen curiosiùs inquirere velit, cujus potissimùm vox illa sit, *in omnibus requiem quæsvi*: vox est utique Sapientiæ, vox est Ecclesiæ, vox est Mariæ, vox est cujuslibet sapientis animæ. *Sapientia* in omnibus requiem quæsvit, sed in solis humilibus

bus invenit. *Ecclesia* in omnibus mundi nationibus requiem quæ-
sivit, sed in solis credentibus invenit. *Maria* sicut & quælibet fi-
delis anima, in omnibus actionibus suis requiem quæsit, sed
hodiè demùm invenit, cum post persecutionem Herodis, & fu-
gam *Ægypti*, post tot insidias & atrocitates Judaicæ impietatis,
post tot passiones suas de passione & morte Filij: postquam tot
& tam acerbi illius animam pertransierunt gladij, tandem ho-
diè dicere datum est ei, Psal. 114. *Convertere anima in requiem
tuam, quam Dominus benefecit tibi.* Qui creavit me, creatus ex me,
requievit in tabernaculo corporis mei, negare non poterit mi-
hi requiem cœli sui. Qui enim gratiam ultrò cumulat aljis, par
pari quomodo non referet Matri? Perge *Maria*, perge secura in
bonis Filij tui; fiducialiter age tanquam Regina, Mater Regis &
sponsa. Requiem quærebas, sed amplioris gloriæ est, quod tibi
debetur, regnum & potestas: Indivisum habere tecum cupit im-
perium, cui tecum in carne una, & uno spiritu indivisum fuit
pietatis & unitatis mysterium: dum scilicet salvo honore natu-
ræ, geminato munere gratiæ, juncta est Mater in matrimonium.
Requiesce igitur, ô felix, inter brachia Sponsi, replicabit tibi
(ni fallor) inter amplexus & oscula, quàm suaviter requieverit
in tabernaculo corporis tui, quàm suavis in cubiculo cordis tui.
Non est injustus Deus, ô Fratres, ut obliviscatur operis boni,
vivit semper apud eum memoria beneficij semel accepti. Bea-
tus apud quem Deus vel semel requiem invenerit, in cujus ta-
bernaculo vel horâ unâ requieverit.

S E R M O IV.

In Assumptione beatæ MARIÆ.

Maria optimam partem elegit.

HOc de Maria sorore Marthæ scriptum est: sed in Maria
matre Domini hodiè pleniùs & sanctiùs impletum est. Ho-

Dd 2

Ho-
diè

diè namque beata Virgo Maria optimam partem elegit, imò quam dudum elegerat, hodiè perpetuò possidendam accepit: ut scilicet inseparabiliter adhæreat Domino, perenniterque fruatur Dei verbo. Nec alienum, aut incongruum, si quod de illa Maria dictum est, in istam transsumatur: cum ad convenientiam transformationis, similitudo non solum nominis, sed & jam operis suffragetur. Illa siquidem Dominum hospitio tecti, hæc thalamo suscepit uteri. *Et qui creavit me*, inquit Eccli. 24. *requievit in tabernaculo meo*. Illa *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*, Luc. 10. hæc sedula circa curam humanitatis ejus, conservabat omnia verba quæ de illo erant, confrens in corde suo, Luc. 2. sed & cum evangelizans circumiret Iesus civitates & castella, Maria comes individua vestigijs ejus adhærebat, pendeatque ex ore docentis: adeò, ut nec procella persecutionis, nec horrore supplicij à consecratu Filij & Magistri potuerit absterreri. *Stabat*, inquit Ioan. 19. *juxta crucem Iesu, Maria mater ejus*. Planè mater, quæ nec in terrore mortis Filium deserebat. Quomodo enim morte terreri poterat, cujus charitas fortis ut mors, imò fortior quàm mors erat? Planè juxta crucem Iesu stabat, cujus mentem dolor crucis simul crucifigebat, suamque ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius, quantis confossum corpus Filij cernebat vulneribus. Meritò igitur ibi mater agnita est, & cura ipsius, idoneo tutori delegata est, *Ioan. 19.* ubi maximè probata est, & Matris ad Filium sincera charitas, & filij de matre vera humanitas. Nam aliàs velut dissimulasse visus est: sive cum in nuptijs flagitanti miraculum ait Ioan. 2. *Quid mihi & tibi mulier*, sive cum in medijs sermonibus Evangelij dicenti cuidam, Matth. 12. *Ecce mater tua & fratres tui foris stant querentes te: quæ est*, inquit, *mater mea?* Sed & matri cum miraculum posceret, sic respondendum erat, ut aliundè quàm à matre se miracula habere significaret: & illi
qui

qui sermonem Evangelij parentes annuntiando interrompebat, melius respondere non poterat, ut videlicet spiritualia carnalibus preferenda monstraret. Ac si more suo diceret parentibus, occupatum in negotio Evangelij quærentibus, Luc. 2. *Quid est, quod me queritis? Nescitis, quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse?*

Abfit enim ut matrem aspernatus sit; qui tantâ curâ de parentibus honorandis legem dedit. Abfit inquam, ut in terra fastidierit matrem: cujus è cælo concupivit decorem, imò potius ordinabat in nobis charitatem, tam verbis quàm exemplis nobiscum agens, ut carnalium affectibus necessitudinum, non solum Dei præponamus dilectionem: sed etiam eorum qui Dei faciunt voluntatem. Ille siquidem affectus de cordibus exigitur omnium nostrum, quos summi Patris adoptavit dignatio: quo fideliter dicamus cum ipsius Unigenito, Matth. 12. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Prorsus filijs Dei competit vox ista, nec ullum fidelius testimonium reddit ipse spiritus spiritui nostro quòd simus, filij Dei: quàm ut sonet de cordibus nostris hæc vox Unigeniti Dei. Itaque Mariam quæ secundum carnem mater erat, aliâ quoque ratione matrem sibi Iesus probat: quandoquidem, & ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat, ut de ipsa prædiceret Pater, Esa. 62. *Vocaberis voluntas mea in ea.* Igitur ubi eam visus est ignorasse Filius, ibi amplius honorasse invenitur: dum ei scilicet materni nominis honor duplicatur, pro eo quod eundem filium, quem alvo gestaverat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum.

Cæterum cum dilexisset eam Iesus, in finem dilexit eam, ut non solum propter ipsam finem vivendi, verum & in ipsam finem penè faceret loquendi: dum velut inter ultima verba testamenti curam matris, cujus debitorem se cognoscebat, cha-

rissimo transcribit hæredi. Sic quippè inter Petrum qui plus diligebat, & Ioannem qui plus diligebatur, hæreditatem suam Christus divisit: ut Petrus fortiretur Ecclesiam, Ioannes Mariam. Huic planè competeat hæc portio non solum iure propinquitatis, sed etiam amoris privilegio, testimonioque pudoris. Decebat namque ut non nisi Virgo Virgini deserviret, quatenus & Virgo beata divino languens præ amore, floribus fulciretur castitatis: & Virginitas adolescentis id interim perciperet remunerationis, ut de contubernio proficeret tantæ sanctitatis. Qui etiam, quia fidelis probatus est in obsequio incorruptæ matris: mysteria quoque divinitatis, & arcana verbi incorruptibilis sibi credi promeruit. Decebat, inquam, ut matri Domini non alius obsequeretur quam Dilectus Filij, quatenus & mater semper suspirans Filium in Dilectum Filij suavius respiraret: & Discipulus Magistrum sibi conquerens nimis citò subtractum, magistrum totius veritatis se reperisse gauderet. Idque satis commodè provisum, ut scripturus Evangelium familiarius de singulis conferret cum ea, quæ confecta erat omnium: quippe quæ ab initio omnia Filij sui diligentius observaverat, conservans omnia verba, quæ de illo erant, conferens in corde suo Luc. 10. Sic nempe se Martham exhibuit in cura pueri nutriendi: ut nihilominus Mariæ partes executi credatur, in studio verbi cognoscendi.

Maximè tamen postquam idem Filius ascendit ubi erat prius, mater absoluta omni sollicitudine temporali, sancto quoque Spiritu (quem præter singulares illas conceptus sui primitias communiter cum Apostolis acceperat) plenius illuminata: gaudebat nimirum vacare & videre quoniam Iesus est Deus. Visio profus ineffabilis gaudij, summæque delectationis omnibus qui diligunt Iesum: sed præ omnibus illi quæ genuit Iesum. Cui sicut singulariter excepta est gratia Deum generandi: sic & præro-

prærogativa gloriandi in eo quem genuit. Omnino singularis atque incomparabilis gloria Virginis matris videre Deum Regem omnium in diademate carnis, quâ coronavit eum, ut & Deum agnoscat & adoret in corpore proprio, & corpus proprium glorificatum videat in Deo. His interim, ut opinor contemplationibus pascebatur Maria, hanc optimam partem elegerat: quæ non ablata, sed perfecta est hodiè in ea. Quia enim negligens aut segnis non exstitit in opere Marthæ, nequaquam vacua derelicta est à fructu Mariæ. Labor in actione, fructus seu merces in contemplatione. *Propterea, inquit Esa. 53. quòd laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur.*

Vobis hæc dicimus Fratres, ut si quis desiderio tangitur illius optimæ partis, quæ in Maria laudatur, sciat quia hæc præmium est illius, quæ in Martha non improbat: nec æquum est ut præmium antè meritum requiratur. Jacob priùs oportet jungi Liæ quàm fruatur amplexibus Rachel, Gen. 29. sed & ipsum priùs vocari & esse Jacob, quàm Israël. *Rectorem, inquit Eccli. 32. te posuerunt, curam illorum habe, & sic considera, & omni curâ tuâ explicita recumbe, ut leteris propter illos: & ornamentum gratiæ accipias coronam.* Labor siquidem operis, seu sollicitudo administrationis, semina sunt justitiæ: pro quibus gaudia metenda sunt ex ore consolantis misericordiæ. Sic enim ait Propheta, Ose. 10. *Seminate vobis in justitia, metite in ore misericordiæ.* At enim 2. Cor. 9. *Qui parçè seminat, parçè & metet. Et qui seminat in benedictione, de benedictionibus & metet.* Nullus sanè tam profusa benedictione seminavit: sicut illa benediçta in mulieribus, quæ benediçtum semen de ventre profudit. Sed semen dicam an fructum? melius utrumque. Qui enim semen est operantibus justitiam; fructus erit metentibus gloriam. Semen in passione: fructus in resurrectione. *Potens in terra semen istud, Psal. 111. quod cadens in terram mox excitavit potentiam suam, ut multum fructum*

fructum afferret : & in semine illo benedicerentur omnes gentes. Undè & ibi sequitur. *Generatio rectorum benedicetur.*

De benedictionibus suis itaque Maria metat : & quæ benedictionem omnium gentium seminavit, benedictionem omnium gentium singulariter accipiat. *Beatam me dicent*, inquit *Luc. i. omnes generationes.* Parum est hoc. Beatam te dicent omnes beatorum spirituum ordines. *Viderunt hodiè ascendentem filie Sion cœlestis, & beatam dixerunt, & regine laudaverunt eam. Cant. 6.* Prorsus de benedictionibus suis Maria metit, quia refusa est spiritualiter in eam omnimoda benedictio illa, quam de se profudit. Date ei, inquit Spiritus sanctus, de fructu ventris sui : & saturetur illo quem genuit. O Mater misericordiæ futurare gloriâ Filij tui : & dimitte reliquias tuas parvulis tuis. Tu jam ad mensam Domina, nos sub mensa catelli. Sicut oculi ancillæ in manibus Dominae suæ, ita familia hæc famelica de te præstolatur alimoniam vitæ. Per te fructum vitæ communicavimus in mensa præsentium sacramentorum, per te eundem fructum vitæ communicemus in mensa perennium gaudiorum, Iesum benedictum fructum ventris tui : cui est honor & gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

SERMO I.

In Nativitate sanctæ MARIÆ.

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.

Natalem beatissimæ Virginis matris celebramus, de qua vita omnium accepit natalem. Nata est hodiè virgo, de qua salus omnium voluit nasci : ut natis ad mortem, daret ad vitam posse renasci. Nata est hodiè Mater nova, quæ primæ matris maledictionem dissolvit : ut per istam benedictionem hæreditate possideant, qui per illam sub præjudicio maledicti æterni fuerant nati. Prorsus nova mater quæ novitatem attulit filijs inveteratis, vitiumque sanavit, tam ingenitæ quàm superadditæ

vetu-

vetustatis. Prorsus nova mater, quæ tam novo miraculo parit, ut pariat, & Virgo sit: ipsumque pariat, qui omnia, matremque ipsam inter omnia creavit. Mirabilis quidem novitas fœcunda Virginitatis, sed longè mirabilior novitas editæ prolis. Nullâ enim incredibile jam erat virginem permansisse; quæ peperit, qui Deum agnoverit esse, qui natus fuit. Nullatenus siquidem cum injuria maternæ nasceretur integritatis, qui etiam corrupta redintegrare consuevit: nec veritas assumpti corporis, potentia præjudicavit Creatoris, quo minùs servaret sibi, quod pluribus dedit creaturis. Multas nempe creaturas invenies nasci sine corruptione gignentium, & quadam voce suâ Creatori super inviolabili partu suo perhibere testimonium.

Sed loquatur Mater ipsa, quæ sui conscia est mysterij, & nos edoceat, quomodo vel quid ipsa genuerit. Loquatur autem non novæ assertionis argumento, sed antiquo prophetiæ oraculo: quia, ut ait Petrus Apostolus 2. Pet. 1. etiam *miraculis firmior testis est propheticus sermo*. Quid enim minùs patet calumniæ, aut suspicionem admittit falsitatis, quàm testimonium divinitus de nondum natis prolatum? Longè igitur antequam nasceretur Maria, vocem ipsius assumebat Spiritus, qui in ea futurus erat: & tam divinitatem Filij, quàm integritatem Matris, opus videlicet suum contra blasphemias impiorum defendebat, & in persona ipsius (si modo communem intellectum sequimur) quod nunc audistis, dicebat Eccl. 24. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*. Quod enim personæ Sapientiæ, id est, ipsius Filij tribuit hæc verba contextus lectionis, sicut ipsi scitis, qui regulas nostis scripturarum, nihil huic præjudicat intellectui, quò minus sicut alia multa, possint aptari personæ quoque Virginis Matris. Sed neque illud ignoratis quod satis superque suppetant alia testimonia, familiarius ac manifestius huic negotio servientia: sed non erit fraudanda expectatio vestra, de his, quæ lectio proposuit hodierna.

Respondeat ergo Maria blasphemis, tam pro se quàm pro Filio, cunctasque hæreses solo interimat verbo, & dicat: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatē odoris.* Ac si apertè dicat: Partus quidem meus non habet exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum. Quæris quomodo virginitas genuit Salvatorem? Sicut flos vitis odorem. Si corruptum inveneris florem, pro eo quod dedit odorem, violatum crede pudorem, quia edidit Salvatorem. Quid potes calumniari in proprietate similitudinis? Quid enim aliud est virginitas, quàm flos inviolati corporis? Quid aliud est Filius virginitatis, quàm suavitas odoris? Tu tamen cave, ne bono moriaris odore. Bonus enim aliis odor vitæ in vitam, his qui scilicet salvi fiunt: aliis odor mortis in mortem, his scilicet qui pereunt: nimirum tanquam odor vinea florentis animalibus venenatis. Sanè suavitate hujus odoris refocillabatur spiritus Patriarchæ senis, qui filium tangens, & fragrantiam Christi sentiens de memoria abundantia suavitatis illius eructabat, dicens: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Suavitatem hujus odoris odoratus est Deus Pater, & delectatus, repropitiatus est humano generi, cum Filius offerret semetipsum oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Hoc suavi odore trahimur, cum per conversionem currimus ad ipsum: hoc trahuntur adolescentulæ, cum per devotionem currunt post ipsum. Quamquam sit alius odor ille, qui de fama prædicationis percipitur; alius odor iste, qui de vestimentis & unguentis, vel de ipso fortassis corpore ejus quodammodo crassior aspergitur. Qui utiq; non est aliud, quàm virtus, quæ de illo exit, quæ pigros excitat, & fervorem amoris innovat, ut ad currendam viam mandatorum exultare faciat.

Quia ergo tam odoriferum fructum edidit, gloriatur Maria & dicat. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Pulchrè *quasi vitis*: nam botrus Cypri dilectus suis illi, Cant. 1. de quo non

non solum torcular passionis rubens mustum expressit pretiosi sanguinis, quo calix præclarus inebriat; sed & quotidie devotio sancta sibi vinum exprimit, quod lætificat cor hominis, & inebriat voluptate gaudij & amoris. Verum non prius inebriat gustus saporis, quam trahat suavitas odoris: nec lætificat gaudium visionis, nisi prius alliciat pietas opinionis: quia nisi crediderimus, non intelligemus, Esa. 7. nec gustabimus, quoniam suavis est Dominus. Fides siquidem est, quæ odoratur, experientia, quæ gustat & fruitur. Ideo fortassis Maria Iesum suum describens per virtutes ipsius & efficientias, primò suavitatem odoris eum nominat: quia videlicet hoc initio Iesus in nobis habet subsistere, si redolentiâ sanctæ opinionis suæ ad se nos trahat. Quis fit autem fructus, unde iste odor prodit, & quo nos trahat, aperit, cum subdit Eccl. 24. *Et flores mei fructus honoris & honestatis.* Prorsus iste est Iesus suavitas odoris invitans, honestas sanctificans, honor glorificans. Suavitas honoris, quâ velut ad viam adducimur: honestas, per quam deducimur: honor, ad quem perducimur. Pulchrè autem honestas dicitur, quasi honoris status. Neque enim honor ille summæ dignitatis & gloriæ statum tunc in nobis habere posset, nisi nunc honestas vitæ & morum sedem ei præpararet. Nullus tunc sicut nunc passim cernitur honoratus sine honestate, sicut nec ullus honestus sine honore. Est ergo Iesus primò suavitas odoris, his quos vocat: deinde honestas his, quos justificat: demum honor illis, quos magnificat. Nam *quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: Quos autem justificavit, illos & magnificavit, Rom. 8.*

Talis est igitur Dilectus meus, ait Maria: & iste est Filius meus ô filiæ Hierusalem. Iste est benedictus fructus ventris mei, hunc fructificaverunt *flores mei.* Non ait flos, sed *flores*: quia cum Virgo sancta est, flos virginitatis in ea multiformis est. In Maria tamen gratiâ singulari præ omnibus multipliciter floruit, quæ tota pulchra intus & foris, tota vernabat quadam florulentiâ &

venustate pudoris. Nam & in te quoq; si castimonia perfecta sit, non solum refloreat caro tua, sed & super te totum effloreat sanctificatio quedam divina. Non erit aspectus petulans, aut vagus, sed pudicitiam floridus: non sermo lascivus aut ineptus, sed verecundiam gratus, aut sapientiam conditus: Non prurient aures libidine audiendi nova vel turpia, nec palatum desiderio sumendi dulcia: Non erit incessus inordinatus, sed modestus; non ipse habitus, non dicam meretricius, sed neq; supersticiosus, imo religiosus: totusque hominis tui status, sanctimoniam gratiam florulentus, ut recte sponso dicere possis, cum eum ad secretum tuum inviteris *Cant. 1. Lectulus noster floridus.* Quinimodum ipse totus eris quidam flos pulcherrimus, qualibus sponsa languorem amoris sui fulciri ac recreari desiderat, cum ait *Cant. 2. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Huiusmodi justus etiam, cum senuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquae vivae in resurrectione, id est, in reflorescence justorum germinabit sicut lilius: & floreat in aeternum ante Dominum, *florem de flore, natum virginem, Virginis Filium sponsum, & coronam virginum;* florem, inquam, quo coronanda est non solum integritas virginum, sed & castitas continentium: ipsi gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

SERMO II.

In Nativitate beatæ Mariæ.

*Ego Mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis,
& sanctæ spei.*

Meminisse potestis cum praterito anno loqueremur de principio lectionis hodiernæ, non inconvenienter, ut arbitror, beatæ Dei Genitrici nos illud assignasse, salvo tamen intellectu illo, quo tota lectio Filio ejusdem proprie competit, id est, Dei sapientiæ. Multo autem manifestius in eo, quod modo
de

de eadem lectione proposuimus, ejusdem virginis se demonstrat vox & persona, si tamen advertamus, in eo quod ait: *Ego Mater pulchra dilectionis, &c.* quàm pulchrè & commodè Filium his virtutum nominibus describat. Notus erat Matri Filius: nec minùs utique quàm illi, qui dicebat 2. Cor. 5. *Et si cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Primò novit eum secundum formam carnis, in qua eum ipsa genuit, sed longè hoc à cognitione illius formæ, in qua Pater eum genuit. In illa visus est aliquando, & non erat ei species neque decor, *Esa. 53.* in ista splendor est gloriæ & candor lucis æternæ *Sap. 7.* apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio *Jac. 1.* Visio illius formæ incredulis auxit peccatum, visio istius justis servatur in præmium. Igitur inter formam carnis & formam Verbi, quasi medius de ista ad illam gradus est, quædam alia forma Christi, spiritualis quidem, sed quam in carne palam exhibuit, forma scilicet vitæ, quam in corpore gessit: ad informationem eorum, qui erant credituri. Si enim secundum exemplar vitæ & morum, quod in eo monstratum est, formatus fuerit in nobis Christus, tunc demum idonei erimus videre non solùm formam, quæ formata est propter nos, sed etiam illam, quæ formavit nos.

Est utique in Christo alia forma corporalis, alia moralis, alia intellectualis. In corporali *frater* est, in morali *magister* est, in intellectuali *Deus* noster est. Corporalem suscepit, ut imple-
ret sacramentum: moralem exhibuit, ut præberet exemplum: intellectualem seu divinam revelabit ad præmium. Quanquam etiam corporalem tunc cernere, in quam Angeli concupiscunt prospicere, non minima sit portio gloriæ. Beatus autè qui nunc amator factus est formæ hujus, quæ in exemplum est proposita, nam qui scrutator est illius, quæ in præmium est reposita, opprimetur à gloria, *Prov. 25.* Hujus formæ mirator & amator factus erat, qui dicebat *Psa. 44.* *Speciosus formâ præ filiis hominû.* Vis scire

Ee 5

quia

quia non formam corporis, sed cordis, non pulchritudinem membrorum, sed morum prædicabat? Audi sequentia: *Specie tua*, inquit, & *pulchritudine tua*, *intende*, *prosperè procede & regna*, adhuc fortassis dubium est, nisi addat, *Propter veritatem*, inquit, & *mansuetudinem & justitiam*. Prorsus hæc est est species tua & pulchritudo tua, quâ regnum acquisivisti pulcherrime Regum, veritas utique sermonum, mansuetudo morum, justitia judiciorum. Hac pulchritudine facile illexisti & subjecisti tibi corda inimicorum, quippe totus concupiscentia & desiderium. Mirabilis triumphus gratiæ, omnino novum ac pulcherrimum genus victoriæ, hostem non perdere ad mortem fortitudine, sed convertere ad amorem pulchritudine. Ecce mundus totus post eum abijt concupiscens speciem decoris ejus, non quia faciem ejus viderit, sed quia tam multa amabilia de mansuetudine, veritate & justitia ejus audivit. Ex Sion species decoris ejus *ps. 49.* quia *de Sion exiit lex, & verbum Domini de Hierusalem, Mich. 4.* unde scilicet Evangelium ad nos missum est, in quo quædam pulchrior Christi facies ostensa est: forma scilicet vitæ & doctrinæ, quam & tradidit verbo, & in se expressit exemplo.

In hac forma nosse Christum, interim pietas est Christianorum, cum nosse in forma carnis scandalum fuerit Judæorum: nam nosse in forma divinitatis felicitas est, & gaudium Angelorum. Ideo & Paulus sciens quia caro non prodest quicquam sine spiritu videlicet qui vivificat, nosse jam Christum secundum carnem repudiat, *2. Cor. 5.* nimirum ut spiritui vivificati studiosius totus intēdat. Hoc ipsum & Maria sapere videtur, quæ dilectum uteri sui, dilectum votorum suorum insinuare cupiens affectibus omnium, describit eum non secundum carnem, sed secundum spiritum: quasi diceret & ipsa: Et si cognovi Christum secundum carnem, sed nunc jam non novi. Cupit namque & ipsa formare Unigenitum suum in omnibus filijs adoptionis, qui & si geniti sint verbo veritatis; nihilominus tamen parturit eos quotidie desiderio &

& curâ pietatis, donec occurrant in virum perfectum, in mensuram plenitudinis ætatis Filij sui, quem semel parturivit & peperit, imò ut Esaias ait Esa. 66. *Antequam parturiret, peperit*: quia peperit sine dolore, nec experta est difficultatem & molestiam parturitionis, cum pareret gaudij fructum æterni.

Hunc igitur commendans nobis sic ait Eccl. 24. *Ego Mater pulchra dilectionis & timoris & agnitionis & sanctæ spei*. Ergone est iste filius tuus ô Virgo virginum? ergone talis est dilectus tuus ô pucherrima mulierum? Planè talis est dilectus meus & ipse est Filius meus ô filia Hierusalem. Dilectus meus est pulchra dilectio in seipso: Dilectus meus est pulchra dilectio, timor & spes & agnitio in illo, qui natus est ex ipso. Ipse est non solum quem diligimus, timemus, agnoscimus, & in quem speramus, sed hæc etiam omnia in nobis operatur, atque his virtutibus veluti quibusdam membris & partibus in nobis perficitur atque formatur. Tunc enim perfectè pro modulo hujus vitæ Christus in te formatus est, tunc veritas ipsius in te expressa est, si veritatem, quæ ipse est, agnovisti, & agnitam glorificasti, timore videlicet & spe; & ne spes confundat, charitas diffusa sit in corde. Si huic sensui judicas incongruum, quod alius sit istarum ordo virtutum vel profectuum, & alius ordo positionis nominum, non enim ait: Ego mater agnitionis & timoris & spei & dilectionis, sed ait: *Ego mater pulchra dilectionis & timoris & agnitionis & sanctæ spei*, fortassis & in hoc ordine ipso, quem ponit, inveniri poterit aliquid congruentiæ & rationis. Sicut enim de agnitione timor nascitur, quem, ne in indesperationem concidat, spes adjuncta consolatur, ipsique spei, ne confundat, dilectio suffragatur: ita versâ vice dilectio castum parit timorem, timor-que cum dilectione illuminat agnitionem: secundum illud sapientis, Eccl. 2. *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra*, quantò autem veriùs illuminato corde Deus agno-

agnoscitur, tantò fiducialius in eum speratur. Unde est illud Psal. 9. *Sperent in te omnes, qui noverunt nomen tuum Domine.* Spes verò sancta est, sicut Ioannes de spe videndi Deum loquens ait 1. Ioan. 3. *Omnis, qui habet hanc spem in illum, sanctificat seipsum: sicut & ille sanctus est.*

Pulchrè autem & propriè dicta est *pulchra dilectio*, cùm charitas Deus sit, ac per hoc summa pulchritudo, sitque virtus ista verè tota pulchritudo Ecclesiæ, quam ipse sponsus ejus in cantico amoris invenitur tantùm ac totiens in ea mirari & extollere. Prorsus dilectio pulchra, quæ de corde puro est, & conscientia bonâ, & fide non fictâ. Ubi enim corpus est, nulla est ruga: ubi conscientia bona, nulla est macula: ubi fides non ficta, non est aliquid ejusmodi, quod oculis sponsi displiceat, quò minus sibi Ecclesiam nunc gratiosam, tunc gloriosam exhibeat. Distinguenda etiam erat hoc nomine *dilectio sanctorum* ab amore hominum, sive *turpi*, qui nec nominandus est inter fideles; sive *naturali*, quo amantur parentes; sive *seculari*, quo se invicem amant propter seculi necessitates vel cupiditates. Procul ergo procul, imò nusquam prorsus sub oculis Dei amor turpitudinis; seorsim autem interim cedat amor necessitudinis; solusque regnet amor internæ & aternæ pulchritudinis, quo solum Deum vel propter Deum amant verè pulchri.

Tu verò bone Iesu, pulchritudo Sanctorum, speciosus formâ non solum præ filijs hominum, sed & præ virtutibus cælorum: specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna. Tamque latè regnet pulchra dilectio tua, ut turpem de finibus rerum proturbet & eliminat; secularem ad se convertat & inclinet; naturalem sub se regat & ordinet: ut illâ pulchrâ & verâ dilectione te diligat mundus, quâ dilexisti mundum Salvator mundi, qui vivis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Cum hucusque S. Bernardum absolvisssem, accipio Tomum VII. ante biennium editum, unde ne quid opusculo deesset, illum pervolvī, et quod proposito huic serviebat addere volui.

EX TOM. VII.

Tract. Super Symbolum Apostolorum.

Pagin. 52. & 53.

Q*ui conceptus est.* Qui inquam Christus, sive qui Filius Dei secundum assumptam humanitatem conceptus est, &c. Ac si dicat. Cujus humanitas de ipsa substantia virginis per operationem Divinæ gratiæ concepta est & nata. Nam cum & singuli homines ex anima constent & corpore, tamen secundum corporis naturam solum dicuntur concipi & nasci à matribus. Dicturus autem eum de virgine natum, ne quis, qualiter id fieret, quæreret, bene præmisit conceptum de spiritu sancto, sicut & Matri quærenti, *Quomodo fiet istud?* dictum est ab Angelo, *Spiritus sanctus superveniet in te, &c.* Ex quo quidem non mediocriter ipsam quoque Spiritus sancti personam commendat, dicendo videlicet per operationem ejus illud corpus esse conceptum, in cuius hostia omnium redemptio est consummata, quod nec minus per ipsum Spiritum sanctum Apostolus dicit pro nobis oblatum, sicut etiam conceptum. Hinc illud est ad Hebræos, ubi in hac nostræ salutis consummatione totius Trinitatis operationem commemorans ait: *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitule aspersus, inquinatos sanctificavit ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum*

Ff

Deo

Deo emundabit conscientiam vestram ab operibus mortuis? &c. Cum autem vel conceptum vel natum de Spiritu sancto audimus, aliter eum de Spiritu sancto natum, & aliter de Virgine natum intelligamus. A virgine quidem, vel de virgine, secundum hoc, quod de substantia ejus tamquam matris carnem acceperit. De Spiritu sancto verò secundum hoc, quod per divinæ, ut dictum est gratiæ novam ac mirandam operationem factum est: ad quod nulla institutio naturæ sufficere poterat. Non ergo in hac nativitate vel incarnatione Domini Spiritum sanctum Patrem ejus intelligere debemus, quemadmodum Matrem ejus profiteamur virginem: Sicut enim illa æterna ejus generatio de substantia Patris sine Matre est, sic ista temporalis de Matre sine Patre est. Operatorem itaque ut dictum est, potius quam Patrem Spiritum sanctum intelligere debemus, sicut & in singulis, quæ facit, operator potius vel creator quam Pater dicendus est. Et attende, quod, dum dicit Filium de virgine natum, & eundem tam Dei, quam hominis Filium esse asruit, unitatem personæ in duabus naturis Divina scilicet & humana confirmat. Quamvis enim secundum Divinitatem ex solo Patre sit genitus, secundum humanitatem ex sola Matre sit natus, aliaque sit natura Dei, alia hominis, vel aliud sit Divinitas, aliud humanitas: una tamen est in Christo persona in duabus naturis existens, nec est alius in persona Filius Dei, quam Filius hominis, quam aliud sit in natura verbum, quod hominem assumpsit, quam homo assumptus.

Subjungo hic ex Tom. I. huc remissam ad Canonicos Lugdunenses Epistolam CLXXIV. cum Notis Admodum Reverendi Domini Jacobi Merloni Horstij, quibus Doctorem mellisuum pro immaculata Conceptione vendicat.

INter Ecclesias Galliæ constat profectò Lugdunensem hactenus præeminuisse, sicut dignitate sedis, sic honestis studijs

& laudabilibus institutis. Ubi enim æquè viguit disciplinæ censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis insigne? Præsertim in officijs Ecclesiasticis haud facillè unquam repentinis visa est novitatibus acquiescere, nec se aliquando juvenili passa est decolorari levitate, Ecclesia plena iudicij. Unde miramur satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio. Nunquid Patribus doctiores aut devotiores sumus? Periculosè præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Nec verò id tale est, quod nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omninò diligentiam præterisse.

At valdè honoranda est (inquis) Mater Domini. benè admones: sed honor Reginæ iudicium diligit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. Honora sanè integritatem carnis, vitæ sanctitatem; Mirare fecunditatem in Virgine; Prolem venerare divinam; Extolle nescientem vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reverendam Angelis, desideratam gentibus, Patriarchis, Prophetisq̃ præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus. Magnifica gratiæ inventricem, mediatricem salutis, restauratricem sæculorum. Exalta denique exaltatam super choros Angelorum, ad cælestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare. Ego verò, quod ab illa accepi securus, & teneo & trado; quod non scrupulosius fateor, admiserim.

Accepi sanè ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum quo assumpta de sæculo nequam, cælis quoq; intulit celeberrimorum festa gaudiorum. Sed & Ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia & ab Ecclesia indubitanter

haberi festivum atque sanctum, firmissimè cum Ecclesia sentiens in utero eam accepisse ut sancta prodiret. Et de Hieremia siquidem lego, *Hier. 1.* quod priusquam de ventre exiret, sanctificatus sit. Et de Ioanne Baptista non secus sentio, *Luc. 1.* qui ex utero Dominum in utero sensit. Videris etiam tu, an & in sancto David idipsum liceat opinari; pro eo quod dicebat Deo: *In te* (ait *Psal. 70.*) *confirmatus sum ex utero; de ventre matris meae tu es protector meus.* Item *Psal. 21.* *De ventre Matris meae Deus meus es tu, ne discesseris à me.* Et Hieremix quidem sic dictum est: *Priusquam te formarem in utero, novi te: & antequam exires de vulva, sanctificavi te. Hier. 1.* Quàm pulchrè inter figuratorem in utero & parturitionem ex utero divinum distinxit oraculum; ut illam tantùm præcognitam, istam & sanctitatis munere præornatam ostenderet: ne quis Propheta prærogativam de sola præscientia seu prædestinatione putaverit æstimandam.

Esto autem ut hoc de Hieremia concedamus, quid respondebitur de Joanne Baptista, quem Angelus prænunciavit Spiritu sancto repletum iri adhuc in utero Matris suæ? *Luc. 1.* Prorsus hoc ad prædestinationem præscientiamve referri posse arbitror. Verba nempe Angeli (sicut ipse prædixit) completa absq; dubio sunt in tempore suo & quem prolocutus est Spiritu sancto replendum, non est fas credere non repletum, idque loco & tempore quo prædixit: certissimè autem sanctus Spiritus quem replevit sanctificavit. Cæterum quatenus adversus originale peccatum hæc ipsa sanctificatio valuerit sive pro isto sive pro illo Propheta, vel si quis alius simili præventus gratia fuerit, non temerè dixerim: sanctificatos tamen non dubitaverim dicere, quos Deus sanctificavit & cum eadem sanctificatione prodijisse ex utero, quam acceperunt in utero, nec reatum quem in conceptione traxerunt, valuisse ullatenus horum natali

tali jam donatum præpedire seu præripere benedictionem. At tamen quis dicat Spiritu sancto repletum manere adhuc filium nihilominus iræ; & si mori in utero contigisset, cum hac plenitudine spiritus, pœnas luiturum damnationis? Durum est: minimè tamen ausim hinc quippiam meâ sententia diffinire. Sed quidquid de hoc sit, merito Ecclesia quæ ceterorum non natiuitatem, sed mortem sanctorum iudicat & prædicat pretiosam, singulari quadam exceptione festis præfert gaudiis, veneraturque illius Natalem de quo nunciante Angelo singulariter legit, Luc. I. *Et multi in Natiuitate ejus gaudebunt.* Cur enim non sit illius exitus sanctus ac proinde festiuis & lætus, qui potuit exultare & in utero?

Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum fas certè non est suspicari tantæ virgini esse negatum, perquam omnis mortalitas emerfit ad vitam, fuit procul dubio & mater Domini ante sancta quam nata. Nec fallitur omninò sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum Natiuitatis ejus diem, & omni anno cum exultatione uniuersæ terræ votivâ celebritate suscipiens. Ego puto quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitæ & justitiæ omnibus obtineret. Sanctus igitur ortus, quoniam immensa prodiens ex utero sanctitas sanctum fecit illum.

Quid adhuc addendum putamus his honoribus? ut honoretur, inquiunt, & conceptus, qui honorandum præiuit partum: quoniam si ille non præcessisset, nec iste esset qui honoratur. Quid si alius propter eandem causam etiam utique parenti ejus

festos honores asserat deferendos? sed de avis & proavis idipsum posset pro simili causa quilibet flagitare, & sic tenderetur in infinitum; & festorum non esset numerus. Patriæ est non exilij frequentia hæc gaudiorum, & numerositas festivitatum cives decet, non exules. Sed profertur scriptum supernæ (ut ajunt) revelationis: quasi & quivis non queat scriptum æque producere in quo virgo videatur idipsum mandare & de parentibus suis juxta Domini mandatum dicentis Exod. 10. *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Ipse mihi facillè persuadeo scriptis talibus non moveri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa invenitur favore auctoritas. Nam quid consequentiæ habet; ut quoniam sanctum præcessit natalem conceptus: propterea reputetur & ipse sanctus? Nunquid quoniam præcessit eum, fecit & sanctum? Quia si præcessit ut esset, non tamen ut sanctus esset. Unde etenim illa ipsi sanctitas quam secuturo transmitteret? an non potius quia præcessit absque sanctitate conceptus; oportuit nimirum sanctificari conceptam, ut sanctus sequeretur jam partus? an fortè mutuatus sit sanctitatem à posteriori prior? Potuit sane illa quæ in jam concepta facta est sanctificatio, ad ipsum qui sequebatur transire natalem: redire verò retrorsum ad conceptum qui præcesserat, jam omnino non potuit.

Unde ergo conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione præventa; quatenus jam sancta conciperetur ac per hoc sanctus fuerit & conceptus: quemadmodum sanctificata jam in utero dicitur ut sanctus consequeretur & ortus? Sed non valuit ante sancta esse, quàm esse. Siquidem non erat antequam conciperetur. An fortè inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit; ut simul & sanctificata fuerit & concepta? Ne hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque spiritu sanctificante, aut sancto Spiritu societas cum peccato fuit, aut certè peccatum quomodo non fuit
ubi

ubi libido non defuit? Nisi fortè quis dicat de Spiritu sancto eam & non de viro conceptam fuisse. Sed id hætenus inauditum. Lego denique Spiritum sanctum in eam non cum ea venisse: dicente Angelo, Luc. 1. *Spiritus sanctus super-veniet in te.* Et si licet loqui quod Ecclesia sentit (& verum ipsa sentit) dico gloriosam de Spiritu sancto concepisse; non autem & conceptam fuisse: dico peperisse Virginem, non tamen & partam à Virgine. Alioquin *Ioan. 7.* ubi erit prærogativa Matris Domini qua singulariter creditur exultare & munere prolis & integritate carnis; si tantundem dederis & matri ipsius? Non est hoc Virginem honorare, sed honori detrahere: si igitur ante conceptum sui sanctificari minimè potuit, quoniam non erat, sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum quod inerat: restat ut post conceptum in utero jam existens sanctificationem accepisse credatur; quæ excluso peccato sanctam fecerit nativitatem, non tamen & conceptionem.

Quamobrem etsi quibus vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen & concipi: ut uni sanè servaretur sancti prærogativa conceptus, qui omnes sanctificaret: solusque absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Iesus de Spiritu sancto conceptus, quia solus & ante conceptum sanctus. Quo excepto, de cætero universos respicit ex Adam natos, quod unus humiliter de semetipso ac veraciter confitetur. *In iniquitatibus, inquam, conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, Ps. 50.*

Cum hæc ita se habeant, quænam erit festivæ ratio conceptionis? Quo pacto, inquam, aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu sancto non est: ne dicam de peccato est: aut festus habebitur, qui minimè sanctus est? Libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas. Alioquin nulla ei ratione placebit contra Eccle-

siæ

fiæ ritum præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. Nam si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ sedis auctoritas, & non ita præcipitanter atq; inconsultè paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et ante quidem apud aliquos errorem compereram: sed dissimulabam parcens devotioni, quæ de simplici corde & amore Virginis veniebat. Verùm apud sapientes, atque in famosa nobilique Ecclesia, & cujus specialiter filius sum, superstitione deprehensa, nescio an sine gravi offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim. Quæ autem dixi: absque præiudicio sanè dicta sint sanius sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, atq; examini totum hoc, sicut & cætera quæ ejusmodi sunt universa reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.

E X N O T I S

Admodum Reverendi & Eximij Domini

JACOBI MERLO - HORSTII

AD HANG

DOCTORIS MELLIFLUI

E P I S T O L A M.

*Q*ua à me hætenus allata sunt, non sic velim accipi, quasi immaculata Conceptioni me una cum Bernardo coner opponere. Impensè quidem amo Bernardum & doctrinam ejus unice veneror, ita tamen ut plus Ecclesiæ auctoritati deferre didicerim (quæ seclusa non agrè fateor, amplecterer, quod Bernardo placuisset) & hoc utique ex doctrina & exemplo Bernardi, qui initio præsentis Epistolæ, agens de festivitibus Virginis Matris tunc in Ecclesia receptis: Hæc mihi, inquit,

quit, de illa cantat Ecclesia & me eadem docuit decantare. Ego verò quod ab illa accepi, securus & teneo & trado: quod non scrupulosius, fateor, admiserim.

Quibus verbis attentis, quid vetat Bernardum etiam hodie numerare inter Doctores Immaculatam Virginis Conceptionem defendentes? Ita sanè facit Vir ex Ordine Dominicano Doctiss. Ambrosius Catherinus Archiepisc. Compensensis lib. 2. de Concept. B. Virg. c. ult. Nempe Bernardus paratus est accipere, imò jam securus tenet ac tradit, non tantum de presenti, sed & futuro, quidquid Romana Ecclesia suscipit & probat. Non enim aliam conditionem ponit, nisi acceptionem, & usum Ecclesie. Hec verò conditio jam à tempore Sixti IV. adimpleta est. Ergo ab illo tempore Bernardus de festiuitatis & mysterij hujus sanctitate securus est, & pro ipsa stat & subscribit: nec si hodie viveret, auctoritati Concil. Trident. Sixti IV. Pij V. Alexandri VI. Pauli V. ac Gregorij XV. reluctari velle credendus est, qui se securus scribit, ac secure tenere & tradere, quod ab Ecclesia traditur: Tanti erat Bernardo auctoritas Ecclesie. Unde & in fine Epistole monet, prius fuisse consulendam Apostolicæ sedis auctoritatem. Et tandem subiicit: Quæ autem dixi, absque præiudicio sanè dicta sint sanius sapientis. Romanæ præsertim Ecclesie auctoritati atque examini totum hoc sicut & cætera, quæ huiusmodi sunt, uniuersa reseruo, ipsius, siquid aliter sapio, paratus iudicio emendare.

Hec benignissima mihi visa est pro Bernardo sententia. Non desunt tamen alij, qui aliter eum interpretari conentur. Nimirum quod redarguat Canonicos, & Conceptionem impugnet, non quidem ex animo, seu quod ita sentiat, sed ut argumentis in contrarium allatis, Canonicos stimulet, & velut admotis calcaribus impellat, ad querendum de hac re iudicium, & assensum seu approbationem Sedis Apostolicæ, cujus auctoritatem tueri hic præcipuè Bernardus studuerit: adeoque nihil magis optauerit, quàm ut dicta festiuitas decreto Pontificis ap-

probata, ab omnibus per totum Orbem reciperetur. Commoda interpretatio, sed verbis sanè Bernardi minus congrua: quamvis Baronium de presenti Epistola loquentem ita interpretetur Bivarius, perperam accipiens verba Baronij de Bernardo loquentis: Licet [diversa senserit.] videlicet ab his, ait Bivarius, quæ scribebat ob stare novæ festivitati. Cum mens Baronij sit, dicere, Bernardum, licet contrariam immaculatæ Conceptioni sententiam teneret, scribendo tamen & redarguendo Canonicos, hoc effecisse, ut res ad iudicium Sedis Apostolicæ delata, maturius examinaretur; donec tandem dicta festivitas ab Ecclesia approbata ubique coleretur.

Quis autem credat, Bernardum aliud scripsisse quàm senserit, inspectis verbis Epistolæ? Sanè suam de presenti controversia sententiam satis manifestò promit. Nempe miratur Lugdunensium temeritatem, quod immemores pristinae maturitatis, disciplinae & observantiae, novam celebritatem inducant. Et ut multa preteream, hæc verba in fine Epistolæ, quis dicat esse non scribentis ex animo? Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam, parcens devotioni, quæ de simplici corde & amore virginis veniebat; verum apud sapientes atque in famosa nobilique Ecclesia, & cujus specialiter filius sum, superstitione deprehensa, nescio an sine gravi offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim.

Quis, inquam, credat, hæc verba non esse ex animo loquentis, & factum Canonicorum Lugdunensium seriò & severè redarguentis? Nempe errorem antehac compererat apud simpliciores, sed jam ultra dissimulare non potest, quin redarguat in Viris prudentibus, & illustri Ecclesia deprehensam superstitionem. Mihi certè hic, si uspiam aliàs, videtur loqui ex animo, nec aliud scribere, aliud sentire.

Vnde non video, quid operæ pretium præstiterint Auctores illi, qui Bernardum ab hac sententia vindicare voluerunt, quam tam expressè tenuit: quæque tum quidem communis & innoxia fuit, neque
iudicio

judicio Ecclesie improbata. Licet contraria tunc ex devotione, quæ de simplici corde (uti loquitur Bernardus) & amore Virginis veniebat, passim emergeret, seseque diffunderet, in eam deinceps evasura auctoritatis molem, quam hodie videmus & veneramur.

Denique, ut huic controversiæ finem imponamus, quæ fuerit germana Bernardi mens, non licebit certius, quam ex contemporaneis Scriptoribus deprehendere. Nicolaus certè, ille Bernardi emulus, de quo supra, non habebat, cur eum impugnaret, & tantopere in eum sevirer, si non aliud sentiebat Bernardus, quam posteriorem Conceptionem esse peccati expertem, at non priorem: in eo nimirum facile utriusque convenisset. Deinde Petrus Cellensis Abbas, demum Episcopus Carnotensis, Bernardi amicus, quorsum tam seriò causam Bernardi contra Nicolaum tuendam sumit, nisi ut ostendat, sententiam ejus innoxiam esse, & immeritò à Nicolao calumnijs impetitam: at Bernardi sententia quo ad priorem Conceptionem, non egebat tam operoso patrocinio: ergo quo ad posteriorem. Sed quia ad præsens institutum præclara sunt Petri Abbatis verba, non pigebit hic in gratiam Lectoris recitare ex Epist. ult. lib. 6.


Sed forte dices mihi, ait, aude sine tu qualiscumque Abbas occludere puteos semper continuandæ devotionis, & profundius quotidie fodiendæ venerationis? Nonne eodem spiritu potantur moderni, quo & antiqui? Nonne, ut ait Hieronymus, in templo Dei quisque pro virili portionem offert, alius aurum, alius argentum, alius lapides pretiosos, alius (ut ad viliora veniamus) pilos caprarum, & cætera? Non erat ab initio Nativitas Virginis in Ecclesia solemnis, sed crescente fidelium devotione, addita est præclaris Ecclesiæ solemnitatibus. Quare igitur non similiter & diem Conceptionis, obtineat sedulitas christianæ devotionis? Ad quod ego: Cataractas cæli, & fontes abyssi libentius in obsequium Virginis solverem, quam clauderem, Et si Filius ejus JESUS aliquid omisisset in prærogativa


exaltationis suæ Matris, ego servus, ego mancipium, non quidem de effectu, sed saltem affectu suppiere gestirem. Mallem certè non habere linguam, quam aliquid dicere contra Dominam nostram. Ante eligerem non habere animam, quam vellem ejus extenuare gloriam.

Licuit quoque, semperque licebit, Sponsam Christi Ecclesiam, quæ in terris peregrinatur, secundùm mutationes rerum, personarum & temporum, variare rationes decretorum, & nova adinvenire medicamina remediorum, & statuere Sanctis ademptione gloriæ frequentiam solemnitatum. Est tamen auro locus in quo conflatur, & habet argentum venarum suarum principia, Sedem Petri, &c. *Et paulo post*: Nihil in Ecclesia pessimius præsumptione erronea, nihil stultius præsumptione temeraria, nihil odibilis præsumptione noxia. Utcunque vero tolerabilis præsumptio pia; sed non satis probabilis. Abstinerè certè ab omni præsumptione volo: gradatim tamen servatis distinctionibus præmissis secundùm magis & minus. Jam destitistem ultra de præiacenti materia scribere, non condemnans errorem tuum, si error dicendus est, qui de pietate venit, nec me opponens glorissimæ Dominæ nostræ, cujus non solum terram, sed & pulverem lingere summas delicias reputo: præcipuè cum in calce epistolæ tuæ asseras, nullatenus te posse moveri ab eo quod scripsisti, dicens: quod dixi; dixi, quod scripsi, scripsi: nisi lapidem offensionis & petram scandali in eadem epistola tua coniecisses. *Quid vero per petram scandali intelligat, subdit*: Petra verò scandali est, quod beatissimum Bernardum debità exuis veneratinne, & verborum jacula post eum emittis, tanquam famam eius possis extenuare, vel gloriam evacuare.


F I N I S.


*Collegii S. Iulii Jera. gradibornas
1697.*

























Historia
vitalis
de Ramon.
Latoru.

Th
2315